CHRIST[illegible] Autor,
[illegible]rum,

Dum [illegible] eius esto
[illegible] liber!

Notandum ex hoc libro
de Melanchtone pag -- 215
quod sit Sacramentarius et
de Brentio quod iis etiam
in nonnullis faveret 220.

REPETITIO CORPORIS DOCTRINÆ ECCLESIASTICAE, SICUT EA EX verbo Dei, in Augustana Confessione, Apologia, & Articulis Schmalcaldicis comprehensa, & ab Illustrissimo Principe Duce Prussiæ, &c. ac Universis Ducatus illius ordinibus, tàm Politicis, quàm Ecclesiasticis, unanimi & constanti consensu, recepta & approbata ac ideo publicè jam edita est, ut sit testimonium consentientis & constantis Confessionis sanę Doctrinæ, contra omnes corruptelas & sectas, quæ multis in locis, sub prætextu Augustanę Confessionis Ecclesias turbant.

Psalmo 119.

Phanaticos, mendacium, & omnem viam malam odi, Legem autem tuam dilexi.

REGIOMONTI BORUSSIÆ,
Anno 1570.

DEI GRATIA, NOS ALBERTVS SEnior, Marchio Brandenburgensis, Prussiæ, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum Dux, Burggravius Noribergensis, & Princeps Rugiæ. Omnibus fidelibus dilectis nostris subditis, Episcopis, Prælatis, Rectori & Professoribus Academiæ nostræ Regiomontanæ, Baronibus, Nobilibus, Civibus, & reliquis omnibus cuiuscunq; status & conditionis, Salutem & gratiam nostram.

ACClementer vobis significamus, cum non ignotum nobis sit, qua ratione, elapsis aliquot annis, dissensiones in Ecclesiis Ducatus nostri ortæ sint, quæ inter docentes & discentes varia commoverunt

verunt dissidia, Nos ratione officii nostri, & pro pia ac paterna nostra solicitudine, in hanc cogitationem toti incubuimus, ut via aliqua inveniretur, qua ortæ dissensiones piè sopiri, componi & tolli possent. Ac in hunc finem, de consilio præstantium quorundam virorum, curavimus novam ordinationem Ecclesiasticam Anno Domini 1558. conscribi, & illam publica editione promulgavimus, sperantes fore, ut ea ratione pia concordia restitueretur, & quicquid ortum erat dissensionum tolleretur. Quia vero re ipsa experti sumus, vulnera Ecclesiarum nostrarum, hac ratione, sicut speraveramus, non prorsus potuisse sanari, ex pio itaq; zelo, & ex paterna quam subditis nostris debemus sollicitudine, iterum eam delibera-

berationem, priusquam à filio Dei ex hac miseriarum valle evocaremur suscipiendam esse duximus, ut filio nostro dilectissimo, ditioni nostræ, & subditis nostris doctrinam Evangelii in pia pace & trãquillitate sanam, puram & incorruptam, salutari docentium, & discentium consensione, tanquam hæreditatem præstantissimam relinqueremus, & quasi per manus traderemus. Habitâ ergo maturâ cum subditis nostris deliberatione constituimus, generalem Synodum ex Ducatus nostri Prælatis, præcipuis Theologis & Ministris Ecclesiarum convocare, & ad eam, alios etiam Augustanæ Confessionis doctos, probatos ac minimè suspectos Theologos, ex Germania evocare, ut ita tandem rebus omnibus piè & diligenter in Sy-

nodo deliberatis, quicquid defectuum in doctrina verbi, tam apud docentes quam discentes, restare judicaretur, componeretur & tolleretur, ac Ecclesiis in hoc Ducatu nostro, pia ac solida pax, consensio & concordia, per Dei gratiam restitueretur.

In illa itaq; Synodo, consentientibus omnium suffragiis definitum & decretum est, constanter & sine vacillatione amplectendum & retinendum esse illud Corpus doctrinæ, quod ex scripturis Propheticis & Apostolicis, in Confessione Augustana, Apologia, & Schmalcaldicis articulis comprehensum est, in eo sensu, sicut in scriptis Lutheri ex verbo Dei declarationes traditæ sunt. Cum quidem nos etiam non tantum ab initio semper professi simus, nos amplecti eam con-

fessio-

fessionem, quæ invictissimo Imperatori Carolo Quinto Augustæ Anno Domini 1530. exhibita est, sed & ante paucos annos eidem Confessioni, quæ Anno 1530. exhibita est, unà cum aliis Electoribus & Principibus de novo subscripserimus, & decretum nobis sit, Dei gratia nos gubernante, in Confessione eius doctrinæ ad extremum usque halitum perseverare.

Quia vero præter spem & opinionem nostram varii errores & corruptelæ, quæ cum Augustana Confessione pugnant, & tamen sub prætextu eius sparguntur, in Ducatum hunc nostrum, & in vicinas regiones irrepserunt, utile ac necessarium in Synodo judicatum fuit, brevi aliquo scripto, quod in usum nostrorum subditorum unà cum Augustana Confessione publi-

publicaretur, præcipuas corruptelas monstrare, & eas ex solidis scripturæ fundamentis refutare, sicut scriptum, quod sequitur, manifeste ostendit.

11 Quia igitur hæc omnia & à nostri Ducatus Episcopis, & à Theologis tàm ex Germania accersitis quàm qui in Academia nostra Regiomontana & in Ministerio harum Ecclesiarum versantur, diligenter deliberata, ab omnibus recepta & subscriptione nominis cuiusq; approbata sunt. Volumus itaque ut in hoc nostro Ducatu, perpetuis temporibus, quod ad doctrinam attinet in prælectionibus, Concionibus & aliàs conformiter & constanter ita servetur, sicut in præfato Corpore doctrinæ, & in scripto illo, cuius jam mentio facta est, traditur & præscribitur. Nemo quicunque

que ſit, ad officium ſeu miniſterium aliquod in Eccleſiis, Scholis, aut aliàs aſſumatur aut tolleretur niſi commemorata illa Scripta approbarit, receperit, & in illis perſeverarit, nec vel verbo, vel facto ſe illis oppoſuerit.

Ac mandamus vobis omnibus fidelibus noſtris ſubditis omnium ordinum, ut hiſce omnibus, præcipuè vero ſuprà commemorato ſcripto, quod unanimi conſenſu approbatum, & Corpori doctrinæ adjunctum eſt, debita reverentia ſine contradictione pareatis. Præcipuè vero vobis huius Ducatus noſtri Epiſcopis, Prælatis, Rectori & Profeſſoribus Academiæ noſtræ clementer & ſeriò mandamus, ut pro ratione officiorum veſtrorum inſpectionem in Eccleſiis, Scholis & aliàs, eâ qua decet fide, & diligentia,

vobis commendatam habeatis. Si intellexeritis esse aliquos vel suspectos, vel qui unanimi huic consensui contradicant, eos ad vos vocatos, piè, placidè & graviter tum erudiatis, tum admoneatis, ut ab errore, vel pravo proposito desistant. Si vero melius institui recusarint, & paternis admonitionibus nullum locum relinquere voluerint, removebitis illos ab officiis, vel eorum nomina nobis significabitis, ut contra præfractos & contumaces debitam executionem instituere possimus.

Quod autem attinet ad Ceremonialia in Ecclesiis, in iis, præter declarationes, quæ in sequenti scripto positæ sunt, volumus non alium, sed eum modum & ordinem servari, sicut in prima & in veteri ordinatio-

ſione Eccleſiaſtica, ante multos annos in hoc Ducatu publicata, præſcribitur, eâ tamen moderatione, ut in futuris temporibus ſemper liberum ſit, quicquid ad ædificationem facere & neceſſarium eſſe videbitur, adhibitis in conſilium Epiſcopis & illis, ad quorum officium hæc pertinent, corrigere & melius ordinare.

In hiſce omnibus, ut mandati noſtri ſententiæ ſatisfaciatis, piam & debitam obedientiam, ea qua ſubditos decet reverentia, vos præſtituros non dubitamus. Datæ in Regiomonte Pruſſiæ 9. Iulii Anno Domini 1567.

Ex

Ex Privilegio Sigismundi Augusti Ducis Borussiæ, Lublini concesso in causa Religionis Anno 1569. in conventu generali.

SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei Gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ, Russiæ, Prussiæ & Masoviæ, Samogitiæque Dominus & heres, &c. Significamus tenore præsentium, quorum interest, universis & singulis, quod cum ab Illustri Principe Domi-

Domino Alberto Friderico Marchione Brandeburgēsi & in Prussia Duce, &c. nepote nostro charissimo, & à suæ Illustritatis Consiliariis intellexissemus, universos ordines Ducatus Prussiæ in eam doctrinam Religionis, quæ communi consensu Senioris Ducis, piæ memoriæ, omniumque Illustritat: suæ subditorum juxta formulam Augustanæ Confessionis & eiusdem Apologiæ recepta & publicata est, consensisse, ob eam rem multis & gravi-

bus

bus caussis adductis, illustrem Dominum in Prussia Ducem, omnesq; suæ Illustritatis subditos, & universam ditionem in hac ipsa doctrina Religionis clemēter conservare statuimus, Sicut & præsentibus literis nostris nos cōservaturos in posterum pro nobis ac serenissimis successoribus nostris Poloniæ Regibus in verbo Regio promittimus & pollicemur. Ea tamen conditione, ut Augustanæ Confessionis Doctrina, incorruptè servata, omnia

alia

alia peregrina dogmata & Hæresium genera, quæ post Augustanam Cõfessionem exorta sunt, quæq; ab ea sunt aliena, non modò non ferantur, sed penitùs prohibeantur & aboleantur.

DE CORPORE DOCTRINÆ, ET CUI fundamento vera & pia pax ac concordia in Ecclesia quouis tempore inniti debeat.

VALDE magnis encomijs in verbo Dei celebratur amabilis pax & consensio, idq; sine dubio propterea, tùm quia est eximium donum Dei, sicut David inquit Psal. 133. Ecce quam bonum & quam iucundum, si fratres unanimes cohabitent, tùm verò præcipuè, quia Diabolus, ut prauus & acerbus spiritus, summo studio & conatu, veram pacem turbat, & verè iuratus ac capitalis hostis est piæ ac salutaris concordiæ. Bonæ igitur ac piæ mentes, huic pernicioso Satanæ conatui, sicut & reliquis eius operibus, seriò debent

bent resistere, ac operam dare, ut salutaris pax & concordia constituatur ac retineatur, sicut David inquit: Inquire pacem & persequere eam, & Christus pacificis tribuit pulcherrimum titulum, cum ipsos filios Dei nuncupat Matth: 5.

Quando autem in Ecclesia de pace loquimur, non intelligimus vulgarem aliquam familiaritatem, qua amicus amico communia benevolentiæ officia exhibet, multo minus intelligimus talem consensionem, qua impij homines inter se conspirant, ut vel prava doceant & faciant Sap: 2. vel ut post perpetrata facinora sine pœnitentia in malo proposito, libere & tranquillè, sine cuiusquã vel reprehensione vel castigatione perseverare possint, talem enim pacẽ Diabolus quærit, Lucæ 11. Sed loquimur de

pia ac salutari pace, ut unum simus in Christo, sicut ipse pro sua Ecclesia orat Iohan. 17. Sancte pater, conserva eos in nomine tuo, quos mihi dedisti, ut sint unum, sicut & nos &c. Item, oro ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Talem pacem Paulus nominat unitatem spiritus, & diserte exprimit, quodnam sit vinculum illius unitatis, nempe, ut doceatur unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & pater omnium &c. Ephes. 4.

Summè igitur necessarium est, si piam, solidam & stabilem concordiam & pacem in Ecclesia constituere ac conservare volumus, ut firmum ac fixum hoc fundamentum, super quo concordia ædificetur, ponamus. Quando enim in hoc fundamento, quod consistit in pia consensione sanæ doctrinæ verbi di-

vini, aberratur, oleum tantum & ope-
ra perditur, quicquid multis & variis
fucatis conciliationibus, quantumvis
speciosis tentatur, sicut Osio in Concilio
Syrmiensi accidit. Miseræ enim cōscien
tiæ non sanantur, nec pacatæ reddun-
tur, sed magis turbantur huiusmodi con
ciliationibus, quibus etiam Deus suam
benedictionem & salutarem felicita
tem semper denegat.

Vt itaq; in hac Ecclesia constitu
& Deo bene iuvante quovis tempo
conservari poßit, vera, pia & solia
concordia, quâ Ecclesia ædificetur, cre
scat & augeatur, nemini in posteru
aliquid docere permittetur, nisi habe
vera, perspicua & solida fundame
ta in verbo Dei. Hoc enim discrim
ne, nostra vera Christiana Religio,
omnibus alijs, in toto terrarum orbe

iuncta est, quod nostra non est commentum humanæ rationis, illa enim de Deo & rebus ad salutem nostram pertinentibus nihil intelligit, 1. Cor. 2. Nec est opinio ex hominum quorumcunque traditionibus, & constitutionibus concepta. Illæ enim coram Deo reprobatæ & damnatæ sunt, Esai: 29. Matth: 15. Sed Deus ipse è cœlo nostram Religionem, tradito certo verbo, patefecit, & eam omnibus temporibus ab initio mundi in ministerio per os Prophetarum, Christi & Apostolorum propagavit, sicut eam usque ad finem mundi hoc modo propagabit & conservabit. Vt ita (sicut Spiritus Sanctus loquitur) vera Ecclesia à solo Deo doceatur, Esai: 54. Ioh: 6. Vnde Irenæus etiam recte & eleganter dicit, Impossibile esse Deum nosse sine Deo.

Ac clementiſsimus Pater illam doctrinam, qua eſſentiam & voluntatem ſuam ab initio mundi Eccleſiæ ſuæ patefecit, eam præcipue ob cauſam voluit ad posteritatem in ſcripta referri, Pſalm. 102. ut Scriptura eſſet certus Canon & Regula, ad cuius normam, vera religio probari, & à falſa ac erronea doctrina diſcerni poſſit & debeat. Sicut Paulus inde probat, Evangelium ſuum non eſſe novam doctrinam, quia nihil aliud ſit, quam quod Deus antea promiſerat per Prophetas, idq; in ſcripturis ſanctis, Rom. 1. cumq; Actor: 24. & 26. accuſaretur, quod novam ſectam introduceret, criminationem hanc ex illo fundamento à ſe repellit, quod nihil doceat aut credat, extra ea, quæ ſcripta ſunt in

Lege & Prophetis. Vnde perspicue colligitur, nemini Apostolorum licere, multo vero minus ipsorum successoribus permissum esse, ut aliquid aliud doceant, quam quod antea à Deo patefactum, & in scriptura comprehensum est. Ideo & Petrus inquit: Qui loquitur loquatur ut eloquia Dei 1. Petri 4. Et Paulus Galat: 1. Etiamsi vel nos Apostoli vel Angelus de cœlo aliud Evangelium annunciaverit, Anathema sit.

Propter hanc causam Sancti Patres sacram Scripturam appellarunt Canonicam, quod sit & esse debeat certus Canon, & unica regula, secundum quam omnis religio & doctrina examinari & dijudicari debeat. Nam & ideo omnes Patres sua scripta Scripturæ Canonicæ subjiciunt, nec aliquid

ipsis autoritatis, ut à nobis recipiantur, tribui volunt, nisi cum sacra scriptura consentiant. Ab hac sanitate doctrinæ, nullius indocti, nullius docti disputatione movearis, inquit Augustinus de bono viduitatis cap: 4. Et de Pastoribus cap: 14. Ego vocem pastoris inquiro, lege hoc mihi de Propheta, lege mihi de psalmo, recita de lege, recita de Evangelio, recita de Apostolo, inde ego recito Ecclesiam toto orbe diffusam, & Dominum dicentem: Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt & sequuntur me. Auferantur chartæ humanæ, sonent voces divinæ &c.

In illa sacra Scriptura Deus complexus est omnia, quæ utilia & necessaria sunt, ad nostram doctrinam, consolationem, patientiam, Rom: 15. ad commonefactionem, 1. Cor: 10. ad redargutionem, correctionem, institutio-

nem

nem, ut homo DEI perfectus sit, ad omne opus bonum instructus, 2. Tim: 3. Et breviter sicut Iohannes inquit: cap. 20. Ut credamus in Christum, & per fidem vitam habeamus æternam, in nomine ipsius.

Recipimus igitur ac retinemus in his Ecclesiis Sacram Scripturam, ut certam & firmum sermonem Propheticum & lucernam illustrem, ac illustrantem, 2. Pet: 1. Psal: 19. & 119. utpote in qua omnia, quæ ad hoc necessaria sunt, ut rectè doceamus, rectè credamus & rectè vivamus, clarè & perspicuè, abundè & sufficienter à Deo ipso nobis patefacta sunt, sicut & Augustinus inquit: lib: 2. de doctrina Christiana cap: 9: In his quæ apertè in Scriptura posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.

Et ex antithesi rejicimus ac damnamus Papisticam religionem, quæ sine fundamento verbi Dei & sacræ scripturæ, ac per consequens contra omnes sanctos patres (qui de suis scriptis nunquam ita senserunt, sicut à Pontificijs allegantur) merum humanum commentum, & humana traditio est, quæ speciem habet sapientiæ, in electitia & factitia religione, Coloss: 2. in qua miseræ conscientiæ, prohibitionibus ciborum & Conjugij (in quibus tamen Regnum DEI non consistit, Lucæ 17. Roman: 14.) per doctrinas Dæmoniorum miserè exagitantur & affliguntur, 1. Timoth. 4. Ac manifesta blasphemia docetur; in Sacra scriptura non omnia, quæ ad salutem nostram necessaria sunt, contineri, eodem prorsus modo, sicut

Irenæus

Irenæus lib: 2. cap: 2. & 46. & Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos, de profligatißimis sui temporis hæreticis scribunt, quorum propositum fuit, sicut et Pontificiorum, ut hoc prætextu sua somnia & commenta Ecclesiæ ita obtruderent, ut cogeretur illa omnia, licet ex Scriptura probari non poßent, pari tamen reverentia & pietatis affectu, sicut ipsam sacram Scripturam, recipere & amplecti.

2

Simul verò etiam rejicimus & damnamus Schwenckfeldii & aliorum phanaticorum errorem, qui docent, Deum nunc alio modo, quam per verbum Scripturæ, per peculiares scilicet revelationes & afflatus se patefacere. Ac disertè dicimus, sicut extra Christum nemo Deum novit, aut in eum credit,

Joh. 5,23. 1. Joh. 2,23.

1. Pet: 1. sive ad ipsum venire potest, Matth: 11. Ita nemo novit filium, nisi per verbum scriptum & prædicatum, sicut Paulus inquit Galat: 1: Placuit Deo filium suum revelare per me, ut scilicet per Evangelium prædicarem ipsum: Vt ita perpetuò verum sit & maneat, quod Iohannes dicit: Qui non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Ergo etiam salutem non habet. Qui vero in doctrina Christi manet, hic & patrem & filium habet.

Quicquid ergo extra hanc doctrinam proponitur, non est Ecclesiæ, illa enim vocem Christi ita audit, ut alienam fugiat, Ioh: 10. nec est Spiritus sancti, ille enim à seipso non loquitur, sed à Christo accipit, Iohan: 16. Reliquum igitur est, ut sit Diaboli doctrina, ille enim ex propriis sive de suo loqui-

tur

tur, sicut hanc antithesin Christus ipse expressè ponit Ioh: 8.

Huius cœlestis doctrinæ compendium & brevis summa, primo in certos aliquot articulos Symboli, quod Apostolicum vocatur, comprehensa fuit, Et ad huius exemplum Patres omnibus temporibus, quando mota fuerunt certamina, præcipua capita doctrinæ cœlestis ex verbo Dei, contra hæreticos, in aliquot plura symbola collegerunt, ut pij in paucis verbis propositum haberent ipsum fundamentum veræ Christianæ religionis, & per illa symbola, tanquam per tesseras militares, veræ suæ fidei consortes, ut vera membra sanctæ Ecclesiæ catholicæ agnoscere, & ab hæreticis iuxta seuerum Dei mandatum 2. Cor: 6. seiungere se possent. Talia probata symbola nos etiam suscipimus, ut, Apostolicum, Nicenum,

p. 272

Athanasij, Ambrosij & Augustini. Et quia post tempora Patrum filius perditionis & perniciosa abominatio omnis desolationis, Papa scilicet seu Antichristus, omnis generis falsas doctrinas, abusus, superstitiones, & idolomanias in Ecclesiam invexit, ideo bono & pio consilio, vera & sana doctrina, de præcipuis doctrinæ cœlestis articulis ex verbo Dei, in Augustana Confessione comprehensa, & Carolo Quinto Imperatori, ac universis Imperij Ordinibus Anno Domini 1530. exhibita est.

Ad illam itaq; Confessionem nos etiam adjungimus, & eam recipimus in illo sensu, sicut in Apologia, in Schmalcaldicis articulis, & in scriptis Lutheri, ex verbo Dei declarata est. Ac existimamus non utile esse Ecclesiæ, varias novas Confessiones conscribere, cum melius & utilius sit unã & eandem retinere.

Ostendit

Ostendit autem Augustana Confeßio, juxta præscriptum verbi divini, quomodo puritas sanæ doctrinæ recte conservari poßit & debeat, nempe si non tantum ea, quæ vera sunt, doceantur, verum etiam ea, quæ sanæ doctrinæ non conveniunt, sed repugnant, sejungantur, rejiciantur & damnentur. Sicut Paulus non tantum ipse facit, sed idem etiam ab omnibus alijs fidelibus doctoribus seriò requirit, ut in utramq; partem parati sint, & exhortari per sanam doctrinam, & contradicentes arguere, Tit: 1. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit, Gal: 5. Et certe nunquam potest purum esse, à quo non omnis impuritas separata est.

Quia igitur negari non potest, sed manifestum est, ex instinctu Satanæ, qui

sinceram Evangelij lucem ferre non
potest, varias sectas & ante & post Lu-
theri mortem subingressas, quæ corru-
ptelas suas, sub nomine & prætextu Au-
gustanæ Confessionis palliare conantur,
ac sub illa specie in vera Ecclesia mul-
tum damni dant, & horribilia scanda-
la excitant, utile & necessarium for-
iudicatum est, ut tales corruptelæ ex-
emplo Augustanæ confessionis in speci-
ac nominatim notentur & refutentur
ut unusquisq; in hisce Ecclesiis illas &
sciat & possit cavere. In hoc enim a-
omnibus consensum est, tales corrupte-
las nullo modo esse tollerandas, sed con-
tra illas inhærendum esse sanæ ac pur-
Doctrinæ verbi Dei, sicut illa in sym-
bolis, in Augustana Confessione, in Apo-
logia, in Schmalcaldicis articulis, &
scriptis Lutheri comprehensa est. Hoc
enim Corpus Doctrinæ harum Ecclesia-

rum agnoscimus, in quo etiam, DEO nos Spiritu suo gubernante, perseverabimus.

De præcipuis igitur aliquot controversiis dicemus, & ex veris ac perspicuis verbi Dei fundamentis errores monstrabimus ac refutabimus, ut ita puritas sanæ doctrinæ in illustri hoc Ducatu porrò retineri, ac ex hoc fonte, vera, pia & solida pax & concordia constitui ac conservari possit.

DE DEO.

QVAntopere Satan omnibus temporibus elaborârit, ut veram ac sanam doctrinam, de una simplici Essentia divinitatis, depravare posset, ostendunt tàm multa scripta, magnis sudoribus à sanctis patribus elaborata, ac §. 7.

hæreticis opposita. Novit enim Satan, ac quidem multò melius, quàm nos persuaderi nobis patimur, quàm facilè de toto negocio religionis debellatum sit, si hunc articulum nobis depravârit. Siquidem hæc est vita æterna, sicut Christus ipse affirmat, Ioh: 17. ut verum Deum, ac filium ipsius, quem in mundum misit, rectè agnoscamus, ideo pessimus ille salutis nostræ hostis, nostris etiam temporibus certamina de Trinitate, ex veterum hæreticorum consopitis antea cineribus resuscitavit ac renovavit, tentaturus, an ita rursus possit Ecclesiæ Dei damnum aliquod dare, cum quidem sciat, ingratitudini nostræ hanc pœnam à Deo constitutam esse, ut pro eo quod dilectionem veritatis non recipimus, mittat efficaciam erroris, ut mendacius credamus Ose: 9. 2. Thes. 2.

Novit etiam rationis nostræ curiosita-

tem, quæ supra modum delectatur, non ut maximis hisce mysteriis, juxta doctrinam verbi Dei simpliciter credat, sed ut acumine suo in illa inquirat, donec incidat in illud, quod Salamon pronunciat, Qui scrutator est Majestatis, opprimetur a gloria.

Est igitur in toto hoc articulo, sicut etiam in reliquis omnibus, non tantum optimum ac tutissimum hoc consilium, verum etiam severum mandatum Dei, ut rationem, quæ se extollit adversus agnitionem Dei, captivemus in obedientiam Christi, 2. Cor: 10. Nec ullas cogitationes admittamus. nisi quantum verbum Dei nos ducit & docet. Nondum enim tempus est, ut talia mysteria vel intelligamus vel perspiciamus, alterius enim scholæ hoc est, in vita scilicet æterna, 1. Ioh: 3:

§.14. *Quæ autem in verbo Dei de Di-*
vina Essentia sunt patefacta, hæc sun
PRIMO, Quod credimus illum ess
verum Deum, qui est Pater, Filius, &
Spiritus sanctus. Hoc enim nomin
seipsum revelavit, hoc nomine debemu
ipsum simpliciter agnoscere & glorifi-
§.18. *care. Non ita autem, quasi tres sin*
Dij, hoc enim simplicitas divinæ essen-
tiæ nullo modo admittit, unica enim e
divinitatis essentia, æterna & omnipo-
tens, Deut: 6. Esa: 44. 45. 1. Cor: 8
Et Pater nihil aliud est, quàm De
Filius, secundum divinam suam natu-
ram, non alius, sed idem est Deus, eiu-
dem essentiæ, sicut & Spiritus sanctu.

SECUNDO, Quod autem unu
§.34. *ille Deus, non una tantum sit persona,*
ex veteri etiam Testamento manifestum
est. Nam Genes. 1. scriptum est, I
principio creavit Elohim, quod plural

nume

numeri esse, eruditi norunt, ac si nos diceremus, Dij creavit, ibi unus nominatur creator, sed in pluribus quam in una persona. Ibidem, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Et mox, creavit Deus hominem ad imaginem suam. Et Gen: 19. Iehova (quod est proprium nomen DEI) pluit a Domino. Psal: 45. propterea ô Deus unxit te Deus tuus oleo lætitiæ, Intelligit autem David ibi Deum, non sicut in Ps: 83. Magistratus Dii vocantur, propter officium divinitus commissum, sed sicut ipse explicat, personam, cui adoratio, & alij divini honores tribuendi sunt.

TERTIO, In hac divina essentia Pater genuit filium, sicut legimus Psal: 2. & 89. non sicut nos ratione vel creationis vel adoptionis filii Dei dicimur, Sed quia eiusdem essentiæ, naturæ, vir-

virtutis, potentiæ & operationis est cum patre, sicut Christus docet, Ioh: 5. & 10. Nam & ideò Ieremias cap: 23. & 33. sicut & reliqui Prophetæ in multis locis Filio tribuunt nomen Iehova, quod nulli meræ creaturæ vel po est, vel debet tribui, sed solius Dei proprium nomen est. Ideò Iohannes eum nominat unigenitum à patre Ioh: 1. Spiritus sanctus etiam eiusdem essentiæ & æqualis potentiæ est cum patre & fili Gen: 1. Spiritus Domini ferebatur supe aquas. Psal. 33. verbo Domini cœl formati sunt, & Spiritu oris eius, omni exercitus eorum.

Quia vero illustratio veteris testamenti novo reservata est, sicut Epistola ad Hebræos testatur, Deus itaq; in novo testamento, præter multa illustria verbi testimonia, visibili etiam ac distincta specie, & distinctis nominibus

se reve-

se revelavit, quod scilicet sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Matth: 3. 17. & 28. Huic revelationi & firmissimis scripturæ fundamentis, simplici humilitate fides nostra debet inhærere, nec ideo turbari se patiatur, quod nostra ratione & nostris sensibus mysterium hoc comprehendere non possumus, Sed cogitemus id, quod Cyrillus adversus Porphyrij blasphemias scribit, Si mens nostra tanta esset, quod Divinam essentiam comprehendere posset, tunc sine dubio Deus non esset aliquid majus vel sublimius, quàm nos sumus. antithesis.

Merito itaq; rejicimus & damnamus omnes hæreses cum hac doctrina pugnantes, ut primo eorum, qui unam quidem Essentiam divinã confitentur, sed tres in Divinitate personas negant, id quod olim Sabellius, & nostris temporibus Servetus fecit.

II Secundo damnamus & illos, qui vel plures, vel pauciores, quam tres in Divinitate personas comminiscũtur, sicut nostris temporibus Campanus finxit tantum duas esse in Divinitate personas, Spiritum enim sanctum ab essentia divinitatis separabat.

III Tertio & illos damnamus, qui tres personas divinitatis, non tantum secundum proprietates distinguunt, sed secundum essentiam separant, quasi non sint unius essentiæ, coæqualis æternitatis, & omnipotentiæ, sicut Arius cum suis olim blasphemavit. Cui affines

IV. sunt illi, qui in Polonia & alibi nunc vagantur, quorum aliqui fingunt, ubi Scriptura mentionem facit unius veri Dei, ibi solum patrem intelligendum esse, non autem filium & Spiritum sanctum, contra manifesta Scripturæ verba, 1. Ioh: 5, quæ de filio affirmant:

Hic

Hic est verus Deus. Alij blasphemãt, personas non tantum distinctas esse, sed ita separatas, ut una extra aliam per se separatim peculiaris sit Deus, atq; ita tres sint Dij, qui ideo tantum unum dicantur, quod ejusdem sint vel generis, vel speciei. Sicut tres Angeli, quisque per se habet propriam suam substãtiam extra alium, tantum verò in specie, ratione spiritualis essentiæ, unum sunt. Illud verò manifestè pugnat cum verbo Dei, filius enim non est separatim peculiaris Deus extra patrem. Dicit enim: Pater in me, & ego in patre, Ioh: 8. & 14. Atq; ita una est simplicißima divinitatis essentia, & verè unus tantum Deus, qui nullam habet similitudinem, nec in cœlo, nec in terra, quâ simplicißima illa unitas vel exprimi, vel demonstrari poßit. Sed juxta verbum Dei ita credimus, et in eo, quod

Christus docuit, permanemus, statim enim ac ab illa doctrina discesserimus, Deum ipsum & salutem nostram amisimus, sicut Iohannes in secunda sua Epistola scribit.

VI. Meritò vero illi etiam improbantur, qui dicunt, quod ad rem ipsam & ad veram sententiam attinet, se nobiscum iuxta scripturam consentire, usitatos autem & receptos modos loquendi, à Patribus gravissimis de caussis, usurpatos, reiiciunt & damnant, ut vocabulum Essentiæ, Personæ, unitatis, Trinitatis, consubstantialitatis coæternitatis, coæqualitatis &c. Sed quicquid hi, quæcunq; specie prætendant certum est, Satanam per ipsos sub prætextu verborum, ipsi doctrinæ insidiari, cum non ignorent, licet tali

vocabul

vocabula totidem literis & syllabis in Scriptura non extent, nihil tamen aliud quàm veram & genuinam verbi Dei sententiam per vocabula illa à patribus redditam & expressam esse, ad quæ usurpanda, tergiversationes, insidiæ, generalitates & ambiguitates hæreticorum, ipsis non tàm occasionem præbuerunt, quam necessitatem imposuerunt. Propter quas caussas & nos vocabulorum illorum usum merito retinemus, iuxta Lutheri consilium, qui in disputatione de duabus in Christo naturis inquit: *Recte docetur, in hac caussa valere usum loquendi, in Scripturis & Patribus orthodoxis servatum.*

DE

DE UNIONE DUA-
rum naturarum in Christo, & de communicatione Idiomatum.

PRrincipium salutare, fundamentum & origo salutis & redemptionis nostræ, atq; adeò caput Religionis nostræ est, quod unigenitus filius Dei, qui est secunda persona Trinitatis, pro nobis miseris peccatoribus homo factus est, ut ita juxta primam promissionem Genes: 3. Diabolo caput conculcaret, et sicut Iohannes loquitur, opera Diaboli dissolveret, 1. Ioh: 3. Atq; hæc etiam causa est, quod Satan omnes suas vires in tot horrendis hæresibus expedivit, ut fundamentum hoc everteret, & naturas in persona Christi vel confunderet, vel dissolveret & distraheret. Et hoc non priscis tantum temporibus tentavit, sed & nostro tempore quosdam eò vesaniæ adduxit, quod docuerunt, Hu-

manam

manam quidem naturam assumptam fuisse à Divinitate in unitatem personæ filij Dei, sed post unionem prorsus in divinam naturam absorptam, et ita transmutatam, ut nihil aliud & ipsa jam sit quàm Deus, sicut Schwenckfeldius deliravit, depravans ita veteribꝰ usitatum vocabulum deificationis. Inter Anabaptistas etiam quidam finxerunt, in Christo tantum esse humanam naturam, in qua divinitas excellentiori quodam modo habitet, & pleniore mensura operetur quàm in sanctis aliis. Stancarus opus reconciliationis divinæ Christi naturæ ademit, & soli humanæ naturæ illud tribui voluit. Osiander econtra justiciam nostram coram Deo ad vitam æternam humanæ naturæ Christi ademit, & soli divinæ naturæ tribuendam contendit:

Præter istos Sacramentarii iam hanc partem doctrinæ invadunt, humanæ enim naturæ in Christo nullas alias proprietates, conditiones, facultates & prærogativas tribuere & conced re volunt quàm quæ in aliis naturalibus hominibus inveniuntur. Ita, ut quicquid vulgaris homo, ratione essentialium naturæ proprietatum, præstare & efficere non potest, illud etiam homo CHRISTVS suo corpore & humanâ suâ naturâ præstare & efficere non possit.

Ita Diabolus undiq; hanc doctrinam invadit, ut eam depravet, & ex hoc fonte in alios fidei articulos horribiles errores spargat.

Summè igitur necessarium est, ut puritas sanæ doctrinæ in hoc Articulo fideliter & firmiter retineatur, cuius in verbo Dei hæc sunt fundamenta, quod

nec

nec Pater, nec Spiritus Sanctus, sed solus unigenitus Filius, qui est secunda persona divinitatis, assumptâ humanâ naturâ, homo factus est, non per naturarum vel conversionem, vel confusionem, utraq; enim natura suam retinuit essentiam, neutra vero illarum jam post unionem separatim subsistit, sed ambæ unitæ unus sunt Christus, postquam divina natura non angelos, sed humanam naturam assumpsit, Ebræ: 2. Idq; non in cœlo, sed in terris, ex benedicta & illibata virgine Maria Lucæ 1. Ex qua unione licet Christus secundum humanam naturam divinam dignitatem & potentiam acceperit, tamen exinanivit semetipsũ, formâ servi sumptâ, in similitudine hominum factus, & habitu repertus, ut quilibet alius homo, Philippens 2. donec

donec per resurrectionem ex mortuis, servilem quidem formam deposuit, humanam vero naturam retinuit, quam in æternum nunquam deseret vel deponet.

Ita in Christo, post incarnationē, sunt & manent duæ distinctæ & integræ naturæ in unitate personæ, ita quod filius hominis non est alius, sed idem est Dei vivi filius Matth: 16. Naturalis filius Mariæ, est filius altißimi, Luc: 1. Non duo Christi, sed unus Christus, non autem in una natura, sed in duabus, distinctis quidem, non autem separatis naturis, sed in una persona unitis.

Hoc summum & inenarrabile mysterium gratâ mente & læto corde celebrare debemus, ac considerare, ad quantam dignitatem misera nostra caro evecta & exaltata sit cum assumpta

humana

humana natura, per illam unionem, facta sit filii Dei propria, sicut scriptum est, Ebræ. 9. per proprium sangvinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa, ita scilicet, quod quæcunque ad redemptionem & salvationem nostram requirebantur, ea filius Dei in assumpta nostra natura cum ea & per eam, ad nostram salutem peregerit, sicut Paulus clare inquit, Rom: 5. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: Ita per obedientiam unius justi constituentur multi. Et 1. Cor. 15. per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, &c.

Ex hoc fundamento unionis duarum naturarum in Christo, oritur communicatio Idiomatum. Quia enim naturæ in Christo non sunt vel confusæ, vel permixtæ, sed manent integræ &

distincta, quælibet igitur retinet essentiales suas proprietates, seu naturalia Idiomata. Quia vero neutra illarum naturarum separatim subsistit, sed ambæ unitæ in Christo una sunt persona. Recte itaq; Lutherus dicit: Eos graviter errare, qui naturas in Christo ita separant, quasi divinitas aliquid agat sine humanitate, vel humanitas sine divinitate. Ad separationem enim operum procul dubio sequitur etiam separatio naturarum, & duæ distinctæ constituuntur personæ.

Vide Athanasium, de verbis Euangelii, quicunque dixerit blasphemiam, &c. Damasc: lib. 3. de orthodoxa fide cap. 15. & 19. Cyrillum in Johan. lib. 4. cap. 14. fol. 171. D.

Tenenda igitur est Regula, quæ etiam à patribus in sexta Synodo tradita est, ut uni individuæ personæ, quæ est Deus & Homo, tribuatur, quicquid

persona illa agit & loquitur. Ne naturæ ita distrahantur, ut idiomata humanæ naturæ, Christo homini, & non Christo Deo, tribuere velimus, sicut Nestorius fecit: Sed quicquid de Christo dicitur, de tota persona intelligendum est. Nam propterea etiam scriptura ita loquitur: Dominum gloriæ crucifixerunt 1. Cor: 2. Deus Ecclesiam suo sanguine acquisivit, Actor: 20. Reconciliati sumus per mortem filii Dei. Rom: 5. Secundus homo Dominus è cœlo, 1. Cor: 15.

Ne tamen propter unionem naturarum in hac persona ipsæ naturæ confundantur, sed quævis distinctè intelligatur, Scriptura expresse addit particulas distinctivas, quando idiomatum humanæ naturæ mentionem facit. De tota enim persona inquit, Christus filius Dei natus est ex semine David, sed

addit, secundum carnem, Rom: 1. Item, Christus est ex patribus secundum carnem Rom: 9. Christus passus est carne, 1. Pet: 4. Quando itaq; de essentialibus proprietatibus naturarum in Christo loquimur, non rectè dicitur, Divinitatem esse passam, vel Christum secundum humanam naturam esse ab æterno, Sed quando aliqua propositio de persona aliquid prædicat, quod tamen distinctè ad unam eius naturam pertinet, ibi essentialis proprietas naturis non indifferenter, sed ei naturæ, cuius propria est distinctè attribuenda est. Vt si de tota persona dicam: filius Dei est mortuus rectè hoc dicitur, sed si distinctè de divina natura dicerem, Christum secundum divinam naturam esse mortuum, non rectè dicerem. Spiritus sanctus enim per Petrum ita loquitur, Christum mortuum carne, seu secundum carnem. H

h

hoc sit primum genus communicationis idiomatum.

Secundò, longe alia verò ratio est Idiomatum officii Christi, quàm sicut jam de essentialibus proprietatibus naturarum dictum est, Idiomata enim officiorum Christi, nec possunt, nec debent alterutri naturæ soli tribui. Nam ideo facta est unio duarum naturarum in hac persona, quia neutra natura per se sola tale officium & opus, juxta decretum divini Consilii, poterat exequi, & peragere. Quia enim juxta sententiam legis, quæ in æternum solvi non potest, Matth:5. Luc:16. nostra peccata morte erant expianda Rom:6. Et impossibile erat divinam naturam per se posse mori. Ideo oportuit personam Mediatoris verum hominem esse, nostra natura & substantia, sed sine peccato sanctum, Luc:1. Ebr:2. Quia vero soli hu-

manæ naturæ impossibile erat, totius mundi peccata ferre, & pro illis satisfacere, mortem conspuere & abolere, flammas Inferni extinguere, iram Dei tollere, æternam justitiam coram Deo adducere, & vitam æternam pro omnibus totius orbis hominibus restituere, ideo oportuit personam Mediatoris etiam essentia & natura verum Deum esse. Quapropter æternus & optimus noster Pater in cœlis hoc consilium invenit, & hoc decretum fecit ante tempora sæcularia, priusquam fundamenta mundi jacerentur, Eph 1. 2. Tim: 1. se unigenitum suum filium daturum, sicut in plenitudine temporis ipsum misit, natum ex muliere, factum sub lege, Gal: 4 ut justificatio legis in nobis impleretur Rom: 8. & pro toto mundo salus impetraretur, Joh: 3.

In hoc itaque officio, & in operibus

ad hoc officium pertinentibus, Christus ut Mediator noster, non peregit aliquid secundum alteram tantum naturam, sed omnia secundum utramq; naturam, sicut Chalcedonensis Synodus inquit: Agit utraque natura cum communicatione alterius, quod cuiusq; proprium est, Mediator noster, intercessor seu advocatus coram Deo, non enim sola divinitas, nec sola humanitas, sed divina humanitas & humana divinitas, sicut Augustinus loquitur, de ovibus cap:12. Ita quando coram judicio Dei (sicut Lutherus scribit de Ecclesia & conciliis) ponderandi seu trutinandi sumus, ascendit Christus nobiscum, qui miseri peccatores sumus, in nostram lancem, non ut merus tantum homo, nec tamen posset in una lance se nobis conjungere, nisi homo esset. Habemus igitur Immanuelem, hoc est, Deum no-

Vid ziar de

biscum. Hic per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, Ebr: 2. Factus est justicia nostra, ut verus Jehova, natus ex semine David, Jerem: 23. & 33.

Merito itaq; cum doctrina sua damnantur tùm Stancarus, qui talia opera officii Christi adimit divinæ naturæ, & soli humanæ naturæ tribuit, tùm Osiander, qui illa humanæ Christi naturæ adimit, & solius divinitatis essentiæ attribuit, contra manifesta hactenus monstrata scripturæ fundamenta, & contra doctrinam patrum, quæ ex hisce fundamentis extructa est.

Tertiò, id quod in primo genere communicationis Idiomatum de essentialibus proprietatibus naturarum in Christo dictum est, Sacramentarii eò detorquent, quasi humana natura in Christo nihil amplius aut maius habeat,

quam communia tantum idiomata, quæ aliàs, extra illam unionem, humanæ naturæ naturaliter insunt. Hoc enim modo contendunt, Christum per omnia fratribus similem factum esse. Quando igitur audiunt, humanæ naturæ in Christo excellentius & maius aliquid juxta scripturam tribui, quam aliàs communis humanæ naturæ extra illam unionem conditio naturaliter ferat, statim vociferantur, veritatem humanæ naturæ in Christo ita destrui, tolli & aboleri. Eam enim revera in Christo volunt, nihil excellentius aut plus posse, quam potest in unoquoque ex aliis hominibus.

Quapropter duo hæc, quæ in verbo Dei certa & firma habent fundamenta, quibus etiam Patres constanti consensu assentiuntur, diligenter sunt consideranda & observanda.

Primò, verissimum est, & nullo modo negari debet, Divinæ naturæ in se ipsa, ex unione illa, nihil vel decessisse, vel accessisse, quia per se immutabilis existit in omnem æternitatem, sicut scriptura manifeste testatur Ebræ: 1. ex Psalm: 102. Opera manuum tuarum peribunt, tu autem permanes: ipsa veterascent, tu autem idem es, &c. & Malach: 3. Ego Dominus & non mutor. Hinc Athanasius in Epistola ad Epictetum: Non enim verbum caro factum est, ut aliqua accessio fieret Deitati, neq; ut verbum in meliorem statum reduceretur, &c. Et Leo Epist: 10. Nativitas temporalis illi divinæ & sempiternæ nativitati nihil minuit, nihil contulit, sed totam se reparando homini, qui erat deceptus, impendit, &c.

Secundò, humana natura in Christo non tantum multa ex hypostatica

cum divinitate unione accepit, sed per eam, ultra quam ullius hominis mens intellectu concipere, aut lingva eloqui potest, exaltata est, ita quod jam non tantum naturalia seu essentialia sua idiomata habet: Sed sicut per illam unionem, ultra & supra omnes creaturas, summæ illi personæ arctissime unita est, ita eo ipso accepit sine ner sura infinitas excellentes & diviniores proprietates, quæ alias nulli homini, nec ulli creaturæ vel à natura insunt, vel unquam etiam divinitus conferunt, sicut Christus clare inquit Matth: 11. Omnia (non dicit aliqua) sunt mihi à Patre meo tradita, Joh: 5. Sicut pater vitam habet in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso, & potestatem dedit ei, etiam judicium facere, quia filius hominis est, Joh: 6. Hic est panis Dei, qui de cœlo descendit, & dat mundo

vitam. Et mox, panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Sicut misit me vivus pater, & ego vivo propter patrem, ita qui manducat me, vivet & ipse propter me. Joh: 13. Sciens Jesus patrem omnia dedisse sibi in manus. Et talia dicta in scriptura multa sunt.

Quanquam autem Christus illa omnia statim initio hypostaticæ cum Divinitate unionis accepit, & acceptam illam divinam potentiam in humana sua natura usurpavit, quando, ubi, quoties & quomodo ipsi placuit, tamen propter nos ad tempus exinanivit se & habitu reperiri voluit, non aliter, quam aliquis alius homo, Philipp: 2. Non ideo, quasi aliter non potuisset, sicut Sacramentarii blasphemant, sed sicut Paulus inquit, exinanivit se, hoc est, illud quod habebat, ad tempus non usurpavit, nec exe-

exeruit, donec post resurrectionem, in potentia illa declaratus est filius Dei, per Spiritum sanctificationis Rom: 1. cum ostenderet datam sibi non aliquam vel paucam, vel exiguam, sed omnem potestatem in cœlo & in terra Matth: 28. non ad breve aliquod desiturum tempus, sed potestatem æternam, quæ non præteribit nec auferetur, Dan: 7.

Alia testimonia, quæ in scriptura multa & illustria extant, ut Ephes: 1 & 4. 1. Pet: 3. Ebr: 7. 1. Cor: 15. &c. hoc loco non volumus recensere, existimamus enim, vel unicum Scripturæ testimonium, quod certum, firmum & perspicuum est, piis mentibus satisfacere, pravis verò & perversis ne ipse quidem Deus è cœlo satisfaceret, donec judicio suo illos perdat. Tantum igitur pauca quædam sanctorum patrum & primitivæ Ecclesiæ testimonia addemus, in si-

mili enim calamitate tunc adversus hæreticos laboratum est. Athanasius ad Epictetum. Non enim verbum caro factum est, ut aliqua accessio fieret Deitati, neq; ut verbum in meliorem statum reduceretur: magis vero, humanæ naturæ magna accessio facta est, etc. Idem de Decretis Nicenis: λόγος non diminuebatur amictu corporis, sed potius deificabat illud. Basilius de nativitate Christi: verbum corporea debilitate non est impletum, sed sicut ignis ferri proprietates non transsumit. Nigrum est ferrum & frigidum, sed tamen ignitum, ignis formam induit, & ipsum illustratur & calefit, non nigrefaciens ignem: & ipsum inflammatur, non frigefaciens flammam. Sic etiam humana Domini caro, ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem.

Emis-

Emissenus in homilia de incarnatione: Diviniora quidem assumptæ naturæ dedit, eorum vero, quæ humanitatis sunt, nihil assumsit.

Augustinus contra Felicianum cap. 10. Injuria sui corporis affectam non fateor Deitatem, sicut majestate Deitatis glorificatam novimus carnem.

Cyrillus de incarnatione Unigeniti, cap. 11. Humana natura magis sublevata est ultra naturam, quam dejecit infra naturam invertibilem Deum. Ibidem, Unigeniti Dei proprium corpus existens omnia humana transcendit, etc.

Quod si quis de admirandâ hac Majestate & exaltatione humanæ naturæ in Christo, quomodo in tempore illam acceperit, magnâ curiositate multis disputare vellet, omninò frustrà se fatigaret, inquit Paulus. Quæ enim Pater Filio in tempore contulit & dedit,

(sine dubio in illa natura, quæ accipere potuit) sunt supra omne nomen, quod nominari potest, non solum in hoc sæculo, ubi omnia sunt ex parte, 1. Cor: 13. verum etiam in futuro, cuius statum, nec sensus nostri nunc comprehendere, nec mens cogitando assequi potest, 1. Cor: 2. sed in altera demum vita videbimus, 1. Joh: 3.

Simul verò expreßè etiam hoc profitemur, nos non esse eius sententiæ, quasi per omnia facta sit exæquatio utriusq; naturæ in Christo, sed contra Schwenkfeldii deliria & contra Sacramentariorum calumnias, cum Luthero & Patribus dicimus, Humanam naturam, etiam in ipsa unione, esse & manere sub divina, non enim per unionem humana natura, quoad substantiam, mutata est, sed mansit & manet in æternum. Licet omnia (inter quæ certè sunt

etiam tempora & momenta, intervalla & distantiæ, longinquitas vel propinquitas, & quicquid sit, sive poßibile apud homines sive impoßibile Christo etiam secundum humanam naturam sint subjecta, & nihil à potestate ipsius, etiam secundum humanam naturam sit exemptum, non in hoc tantum sæculo, sed quicquid etiam in futuro saculo nominari potest, Eph:1. Phil:3. excepto solo illo, qui subjecit ipsi omnia, Ebræ.2.

Argumentum itaq; Sacramentariorum, à proprietate corporis simpliciter humani, ad corpus Christi, quod divinitati hypostaticè unitum est, mendax est, & falsum, imò blasphemia est adversus hominem Christum, de qua ipsi cum suis sectatoribus in extremo die coram severißimo Dei judicio rationem reddere cogentur.

DE LEGE.

DOctrina verbi Dei, seu sacra scriptura, in qua Deus essentiam & voluntatem suam generi humano pate fecit, in duo principalia & distincta capita distribuitur: in doctrinam scilice Legis, & in doctrinam Euangelii. E Legis quidem ministerium seu officium est, ipsum peccatum & peccati stipendium revelare, atque ita condemnatio nem & mortem annunciare. Econtr vero Euangelii officium est, docere & monstrare illam justitiam, qua cora Deo justificemur, hoc est, à peccatis ab solvamur, & acceptemur ad vitam ternam, 2. Cor. 3. Gal. 3.

Quomodo vero duo hæc capita d ctrinæ cœlestis vero discrimine distin gvenda sint, ita ut cuiusq; usus rec declaretur, in confeßione Augustana,

Apologia, in Schmalcaldicis articulis, & in scriptis Lutheri ex verbo Dei diligenter & abundè explicatum est. Et hæc doctrina de discrimine Legis & Euangelii diligenter retinenda est, & cavendæ insidiæ Diaboli, qui doctrinam de pœnitentia & remissione peccatorum, quæ citra hoc discrimen rectè tradi non potest, omnibus temporibus hoc artificio depravavit, & homines miserè seduxit, quod vel indistinctam confusionem, vel nimium distractam divulsionem fecit Legis & Euangelii, vel certè genuinam sententiam, & verum eorum usum pervertit & depravavit, cuius singulare exemplum Pontificia Ecclesia in hodiernum usq; diem præbet.

Et quanquam nostro tempore Deus per ministerium, Lutheri præcipuè, hoc arduum opus perfecit, quod verum

discrimen Legis & Euangelii monstratum, & eo ipso regnum Pontificis Romani de solio suo deturbatum est, non tamen quievit Satan, sed ut puritatem doctrinæ rursus contaminaret, Antinomos excitavit, quorum hoc fuit propositum, ut doctrina Legis ex Ecclesia proscriberetur, & nihilominus pœnitentia (quam hoc loco in specie pro contritione intelligimus) doceretur, sed ex Euangelio, sub hac specie, conscientias scilicet non ita esse perterrefaciendas & contristandas, nec corda in talem dolorem & pavorem, seu ut Paulus loquitur, in talem tristitiam conjicienda, sicut legis concio facit. Posse enim veram fidem haberi, sine tam seria agnitione & detestatione peccati, etiamsi conscientia prius non perterrefiat agnitione & sensu iræ Dei. Ita enim publicè docere cœperunt: Si es adulter, scortator vel ali-

quo alio ſcelere obſtrictus, ſi credis, es in via ſalutis. Hæc doctrina corruptæ noſtræ carni ſupra modum grata & accepta eſt, quæ nihil magis averſatur, quam ſi ſal doctrinæ non ſit inſipidus sed mordicans, ſicut eſſe debet, aut nihil valet, Matth. 5.

Hanc corruptelam Lutherus refutavit ex hoc fundamento: Quod vera fides, vero deſiderio quærens in Chriſto liberationem à peccato, nequaquam poteſt eſſe ſine vera pœnitentia, hoc eſt, ſine contritione & dolore cordis, timentis iram Dei, ſine ſeria diſplicentia & deteſtatione peccati. Talis autem pœnitentia non poteſt eſſe ſine agnitione peccati & ira Dei adverſus peccata. Et agnitio illa, non aliunde, quàm ex lege Dei doceri poteſt, Rom. 3. & 7. Cumq; Deus neminem juſtificet, niſi quem prius peccatorem eſſe oſtenderit, Matth.

9. & neminem vivificet & consoletur, nisi quem antea contristârit, & mortificárit, 1. Sam: 2. Hoc autem opus & officium non sit Euangelii (quod est ministratio vitæ non mortis) sed Legis, quæ est administratio mortis non vitæ, 2. Cor: 3. Rectè itaq; Lutherus dixit, quod Legis officium exerceat, quicquid peccatum & iram Dei revelat, in quocunque scripturæ loco id fiat, sive in veteri sive in novo Testamento.

Hoc fundamentum diligenter omnibus temporibus in Ecclesia retinendum est & urgendum. Diabolus enim non quiescit, sed subinde variis artificiis tentat, ut doctrinam Antinomicam, licet semel explosam, rursus in theatrum reducat. Quidam enim nunc eundem errorem, in Antinomis antea damnatum, rursus spargunt, Agnitionem peccati & contritionem non ex Lege docen-

dam esse, sed ex Euangelio, aliàs enim, inquiunt, esset contritio Judæ, & fieret æterna desperatio. Quod sine dubio verum esset, si sola Lex proponeretur, & non adderetur concioni Legis annunciatio remißionis peccatorum ex Euangelio: sed ita ne Lex quidem rectè doceretur. Finalis enim intentio Legis non est, ut peccatori, in terroribus illis relicto, nihil aliud quam sola Lex proponatur. Paulus enim expreßè & clarè dicit, finis Legis Christus, ad justitiam omni credenti, Rom: 10. Item, Deus conclusit omnia sub peccatum, ut omnium misereretur, & promißio per fidem in Christum detur credentibus, Rom: 11. Gal: 3.

Est & hæc argumentatio falsa, quâ novi Antinomiæ Patroni utuntur: Si Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato & de incredulitate Johan: 16.

Ergo non Lex sed Euangelium. Ex hac enim argumentatione sequetur, vel Legem non esse doctrinam Spiritus sancti, cum tamen per ipsum sit scripta, Deut: 9. vel Euangelium non tantum esse administrationem vitæ, verum etiam mortis & damnationis, contra Paulum 2. Cor: 3. Vel sequetur, si Euangelium arguit peccata, & tamen non est administratio damnationis, arguet igitur incredulitatem, sed non ad damnationem, quod adversatur Christi sententiæ, quæ pronunciat, Qui non crediderit, condemnabitur, Joh: 3. Mar: 16.

Hoc quidem verum est, Euangelium & non Legem docere de fide in Christum, qualis ea esse, quod objectum apprehendere, qua in re fiduciam suam collocare debeat. Paulus enim clarè dicit, Lex non est ex fide Gal: 3. Quia vero Euangelium est verbum & promissio

missio Dei. Et lex flagitat, ut omni doctrinæ verbi Dei credamus, ideo sine dubio arguit omnem incredulitatem, & hanc etiam, in qua mundus submersus est, quod Euangelium non suscipit, nec in Christum credit. Ita discrimen Legis & Euangelii planum & perspicuum manet, sine confusione, ut, licet in Euangelio multæ declarationes Legis inveniantur, sicut testatur Lutherus in 2. cap: ad Gal: hoc tamen fundamentum salvum & inconcussum maneat, quod Apologia ex Paulo ponit, his verbis: Verbum, quod arguit peccata, doctrina Legis est, non Euangelii.

Nec juvat Antinomos, quod usitatam definitionem Euangelii, quæ in Augustana Confessione, in Apologia, & in Lutheri etiam scriptis aliquoties repetita extat, in nostris Ecclesiis retinemus & retinendam censemus, nempe quod

Evangelium sit prædicatio pœnitentiæ & remißionis peccatorum. Sicut enim scriptura sæpiùs vocabulum Legis in genere usurpat, pro tota doctrina verbi Dei Psal:1.19.&119.ideo ut ostēdat non esse arbitrarium, sed serium mandatum Dei, ut verbum Dei amplectamur: Ita aliquando & in quibusdam locis Scriptura usurpat etiam vocabulum Euangelii in genere, ut Marc:16.Ite, prædicate Euangelium. Hæc enim sententia ita declaratur, Luc:24.prædicate pœnitentiam & remißionem peccatorum. Ita Luc 9. Apostoli mißi ad prædicandam pœnitentiam, & appropinquationem regni Dei, dicuntur prædicasse Euangelium. Pœnitentia enim ex Lege non aliter est docenda, quam ut ad doctrinam de Christo tanquam ad finem dirigatur, sicut in præcedentibus ex Paulo demonstratum est. Ita nihilominus ve-

run

rum manet, quod propriè non Euangelium, sed lex peccata & incredulitatem arguat, & pœnitentiam doceat, sicut econtra propriè & distinctè, non Lex sed Euangelium concionatur de remißione peccatorum & de fide in Christum.

Hæc doctrina non tantum in verbo Dei fundamentum habet, verum etiam in Apologia ita tradita est, ut in loco de Pœnitentia: Verbum, quod arguit tantum peccata, doctrina Legis est, non Euangelii. Item, Lex est verbum, quod arguit & condemnat peccata. Et paulo post: Hæc sunt duo præcipua opera Dei in hominibus, Perterrefacere, & Vivificare perterrefactos. In hæc duo opera distributa est universa scriptura. Altera pars est Lex, quæ ostendit, arguit, & condemnat peccata. Altera pars Euangelium, hoc est, promißio gratiæ in Christo donatæ, &c.

Item in loco Justificationis, Euangelium propriè est promißio remißionis peccatorum & justificationis propter Christum.

Latiùs autem, proh dolor, Antinomorum error patet, quam Ecclesiæ expediat, inter docentes præsertim, quorum multi non admodum sunt solliciti, an oves, fidei ipsorum commissæ, verâ & seriâ pœnitentiâ ad Deum convertantur, quod idem est ac si dicas: Non curant, an salventur, an vero damnentur. Cum impoßibile sit absq; pœnitentia salvari Lucæ 13. Jerem: 5. Et quia animadvertunt salem, de quo Christus loquitur Matt: 5. mordicando non admodum bonam apud auditores gratiam docentibus conciliare, ideo quidam tale lenitivum adhibent pharmacum, quod ipsa quidem vitia ex Lege graviter taxant, & serio reprehendunt, personas

vero, quæ vitiis illis contaminata sunt, prætereunt & non attingunt, atque hoc modo existimant, se officio suo præclarè satisfecisse. Non considerant autem mandatum verbi Dei esse. Auferte ex vobis non tantum illud, quod malum est, sed & eum, qui malus est, 1. Cor: 5. Eos, qui peccant, coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant, 1. Tim: 5. Prophetæ certè, Christus & Apostoli, non tantum peccata & vitia, sed ipsas personas peccantes taxant & arguunt. TIBI non licet habere HANC, inquit Johannes Baptista ad Regem Herodem Matth: 14.

Et sanè ipsa ratio & jus politicum idem observant. Non enim furtum, sed fur suspenditur in politia; Parens in Oeconomia flagellat non malitiam in abstracto, sed puerum malitiâ corruptum; Et medicus propinat Pharmaca

non idea morbi, sed persona, quæ morbo affecta est.

Quid vero in Ecclesia efficiant illi, qui vitia tantum in abstracto exagitant, personas vero non arguunt, sentient olim, sed nimis serò in extremo judicio Dei, tam docentes, quàm discentes. In Prophetas enim (quos ideo filios hominum appellat, quia omnibus hominibus constitutum est semel mori, Ebr: 9. & posteà coram tribunali Christi manifestari, 2. Cor: 5.) hanc Deus sententiã pronunciat Ezech: 3. & 33. Fili hominis, speculatorem cõstitui te domui Israëlis, audies igitur verbum ex ore meo, & monebis eos ex me. Si dixero ego ad impium, Tu impie, morte morieris, tu vero non monueris eum, nec locutus fueris, ut avertatur à via sua impia & vivat, ipse quidẽ impius in iniquitate sua morietur, sangvinem autem eius de manu

tua requiram. Ibi certè non de impietate in abstracto, sed de ipso impio loquitur, illum vult argui, illum pronunciat moriturum. Et si Propheta adulator vel taceat, vel extenuet, vel palliando excuset, aut approbet in impio peccatum, nihil aliud efficit, quam quod impium in æternam mortem præcipitat, & sibiipsi etiã alieni peccati reatum attrahit. Summa itaq; diligentia ministris verbi Dei opera danda est, ut utrumq; genus doctrinæ Legis & Euangelii suo loco & ordine diligenter & fideliter, juxta regulam in verbo Dei præscriptam, non autem ex præjudicio aut affectione aliqua animi, 1. Tim: 5. v. 21. tradant & urgeant. Si enim ab hac præscripta regula ipsi aberraverint, Deus in pœna ab ipsis non aberrabit. Et talis docentium aberratio est ipsissima proditio miseri gregis dominici ad æternam perniciem.

Hæc autem non ita accipi volumus, quasi processu illo, quem in arguendis peccatoribus servandū Christus Matt: 18. instituit & præscripsit, prorsus intermisso & sublato, quilibet concionator personas statim nominatim pro concione publicè perstringere & taxare debeat. Sed hoc sentimus, peccata ita esse arguenda, ut personæ, peccatis illis obnoxiæ & contaminatæ, reprehensiones illas ad se, & ad sui emendationem pertinere animadvertant, aut sciant, si in vitiis illis sine pœnitentia perseveraverint, se nec posse, nec debere pro membris Ecclesiæ agnosci.

Vltra hosce hactenus enumeratos Antinomos, novum jam prodit agmen eorum, qui tertium usum Legis rejiciunt, quasi Lex renatis non sit in hunc usum proponenda, ut sit norma docens & monstrans certa opera, in quibus De-

us vult renatos exercere novam obedientiam. Hanc autem doctrinam justa discretione explicamus. Verum enim est, quod Lex non efficiat in nobis renovationem, quia Spiritum sanctum oportet illam in nobis operari & efficere, qui ex auditu fidei concipitur, & per fidem in conversis habitat, Rom: 8. Gal: 3. & 5. Vera autem bona opera non debent fieri ex coactione Legis, animo invito, sed debent voluntaria esse, & ex animo, seu ex corde proficisci, Rom: 6. Talem enim obedientiam Deus requirit, 2. Cor: 8. & 9. ut discrimen sit, inter renatorum opera, & inter opera hypocritica, ne accidat nobis, quod Deus de hypocritis conqueritur, Esa: 29. Matth: 15. Cor ipsorum longè est à me.

Et tamen illud etiam verum ac firmum manet, quod Spiritus sanctus renatis non permittit illam libertatem, ut

quomodocunque velint, Deum colant cultibus electitiis, qui vel propriâ intentione excogitati, vel hominum traditione instituti sunt, Coloss:2. Matth: 15. Hoc enim Deus ferre non potest, sicut inquit Deut:12. Non faciatis singuli, quod vobis rectum videtur, sed quicquid ego præcipio vobis, hoc observabitis, ut faciatis. Non addas quicquam super ipsum, nec minuas ab eo. Spiritus sanctus igitur ducit ac gubernat renatos in stadio novæ obedientiæ juxta verbum in lege præscriptum, ut bona ipsorum opera sint veri cultus Deo accepti, quod fieri non posset, si opera illa non haberent mandatum & verbum Dei. Sicut Lutherus inquit in præfatione veteris Testamenti: Deus illa opera non probat, quæ sine certo suo verbo & mandato à nobis fiunt. Item,

Deus

Deus non potest ferre, ut quicquam instituamus, quantumvis bonum in speciem, quod ipse non antea mandaverit. Nam opera nihil æquè commendat, atq; obedientia, quæ verbum Dei sequitur, &c. Sine dubio igitur novi illi Antinomi tollendo tertium usum legis simul etiam renatorum operibus auferunt illam dignitatem & bonitatem, quod non possunt esse obedientia erga Deum, cum juxta istam opinionem, mandatum in verbo Dei nec habeant, nec curare debeant. Peculiaris itaq; tandem Enthusiasmus inde instituetur, quod Deus pro bonitate sua clementer avertat, Amen.

DE PECCATO ORIGINALI, & de Libero Arbitrio, sive de viribus humanis.

VAldè multum refert, doctrinam huius articuli planam & synceram, nullâ corruptelâ depravatam in Ecclesia retineri, juxta illam formulam & regulam, sicut eam Deus in verbo suo tradidit & explicavit. Verißimum enim est, quod Apologia dicit: Non potest intelligi magnitudo gratiæ Christi, nisi morbis nostris cognitis. Item, Beneficia Christi non poterunt cognosci, nisi intelligamus mala nostra, &c.

Ipsa etiam experientia & omnium temporum historiæ testantur, quod adulterata vera articuli huius sententia, secuta sit inclinatio totius doctrinæ in reliquis etiam præcipuis articulis. Atque ideo Lutherus etiam, cum doctri-

nan

nam Ecclesiæ à Pontificio fermento repurgare & restaurare constituisset, ab hoc fundamento, tanquam à capite, ordiri voluit.

Animadvertit hoc ipse etiam Satan. Licet enim Pelagianorum, Papistarum & Anabaptistarum, de hoc articulo errores, unà cum illis, qui peccatum originale, non in aliqua naturæ nostræ depravatione, sed in solo reatu actualis peccati Adami constituebant, ex fundamentis verbi Dei solidè sint refutati, non tamen quiescit mendax iste Spiritus, sed eandem illam arcem sophisticis artificiis per Synergistas rursus invadit, ea sine dubio spe, quod hoc modo, domum suam, ex qua gladio verbi Dei potenter profligatus est, insidiosè rursus occupare, ac zizania sua occulte subjicere se posse sperat.

Est autem novæ istius factionis hæc doctrina. Fatentur verum esse, quod humana natura per lapsum Adæ misere sit depravata: Sed addunt, non tamen omnes vires & facultates, etiam in negocio conversionis nostræ, ita prorsus extinctas & amissas esse, ut conversionem necesse sit, in solidum esse proprium solius Spiritus sancti opus. Sed reliquam & residuam in natura etiam post lapsum mansisse talem aptitudinem, seu capacitatem, ut homo à se ipso, seu ex propriis viribus poßit Spiritui sancto locum dare, verbo Dei, per quod nobiscum agit, non repugnare, sed ei aliquo modo assentiri. Quod initium à nobis profectum, postea Spiritus sanctus adjuvet, ut perficiatur, ut ita vera conversio efficiatur, partim ex nostris naturalibus viribus, partim ex operatione Spiritus sancti. Et huius doctrinæ

tale ponunt fundamentum, quod homo etiam post lapsum, non sit vel lapis vel truncus: sed habeat adhuc in mente intellectum, & in voluntate inclinationem, ut objectum ab intellectu monstratum possit vel eligere, vel repudiare, vel expetere, vel rejicere, aut actionem suspendere.

Sed quibuscunque coloribus opinio illa pingatur, certum est, ex veterum Pelagianorum officina eam prodire. Illi enim cum animadverterent, se fines veritatis, in scriptura patefactæ, nimis crassè excessisse. Cumq; propterea à patribus acriter exagitarentur, quod in conversione omnia humanis viribus tribuerent, conati fuerunt postea laboranti caussæ hoc pharmaco mederi, ut conversionem partirentur inter gratiam Dei, & inter vires humanas, ut aliquid homo ex se, aliquid gratia

Dei efficeret, in conversione. Ita enim Augustinus recitat verba Pelagii lib: 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap: 19. In omni opere bono hominem semper adjuvari à gratiâ. Et lib: 4. cap: 6. gratiam adjuvare bonum cuiusq; propositum, non tamen reluctanti studium virtutis immittere, nec invito inspirare boni cupiditatem. Idem de gratia Christi contra Pelagium & Cœlestium cap: 10. recitat hæc verba Pelagii: Deus operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium, tantummodo præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem. Et cap: 14. dicit, Pelagium ponere in natura possibilitatem veniendi

niendi ad Christum, & hanc adjuvari à gratiâ. Contrà vero Augustinus docet cap:16. Non tantum adjuvari volendi & operandi possibilitatem, sed & dari, & lib:4. cap:6. contra duas Epistolas Pelagianorum: Reluctanti prius, aditus divinæ vocationis, ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde jam in illo non reluctante, studium virtutis accenditur.

Vt igitur phanaticæ illæ opiniones in hoc articulo eò rectius & solidius refutari possint, utile & necessarium est, ut status controversiæ distinctè & perspicuè ex verbo Dei constituatur. Hoc enim rectè constituto, non difficile erit videre & judicare, quid verum, quid falsum sit.

Et primò, quod quidam disputant, peccatum esse substantiam, non est verum, sed est horribilis error, olim in

Manichæis damnatus. Duo enim hæc diligenter sunt discernenda, Substantia hominis, & substantiæ depravatio. Substantia enim seu essentia hominis etiam post lapsum à Deo creatur seu formatur, atq; ita est creatura Dei, sicut primus articulus Symboli in Catechismo nostro expreßè docet. Corruptionem verò, qua natura depravata, morbida & perversa reddita est, non habemus à Deo. Peccatum enim originale non est substantia aliqua à Deo creata, sed est horribile venenum, per quod creatura Dei in nobis, in corpore & in anima depravata, & ad Satanam aversa, inimicitia facta est adversus Deum, Rom: 5. & 8. cuius autor & causa est seductio Diaboli, & lapsus primorum parentum. Ex hac corrupta depravatione, quæ unà cum natura hæreditariò à parentibus ad nos transmittitur, fit,

quod omnes sumus peccatores seu peccato infecti, illo ipso momento, quando primum in utero materno concipimur, priusquam actione aliqua legem transgrediamur, Rom: 5. Psal: 51. atq; ita natura, ac in ipsa prima origine sumus filii iræ, Ephes: 2. quibus regnum cœlorum occlusum est, quod videre non possumus, nisi toti denuò renascamur, Johann: 3.

Secundò, quanquam substantia hominis, eo sicut jam dictum est modo, peccato infecta & depravata est, non tamen vel in saxum, vel in truncum transmutata, aut in aliam substantiam irrationalis bestiæ conversa est, sed retinuit homo etiam post lapsum, corpus & animam, rationem humanam, seu intellectum & voluntatem, per quæ in rebus externis, ad temporalem hanc vitam pertinentibus, aliquo modo habet liberum

berum arbitrium, ea cogitandi, eligendi & efficiendi, quæ ad hanc vitam pertinent, licet in magna infirmitate, cum natura sit depravata, & à diabolo multipliciter, etiam in civilibus impediatur: sicut hæc doctrina, in Augustana confessione, in Apologia, & in scriptis Lutheri, plenius explicatur.

Tertiò, in huius autem loci controversia, non hæc est quæstio, quid ratio & vires humanæ naturales in rebus temporalibus & externis seu politicis possint: sed hic est status controversiæ, An & quid possint coram Deo, in rebus spiritualibus, ad conversionem hominis pertinentibus. Vtq; status controversiæ eò clarius constituatur, expreßè dicimus, nos non hoc sentire, quasi Spiritus sanctus veram conversionem in homine ita operetur, ut nulla prorsus in homine mutatio, nulli novi motus, in

mente, voluntate & corde hominis fiant. Quid enim hoc aliud esset, quam re ipsa in universum totam conversionem negare, & tollere? ubi enim nulla prorsus mutatio seu renovatio est cogitationum, mentis, voluntatis & cordis, ubi nullum est desiderium gratiæ Dei, nullum bonum propositum, nullus assensus verbi, nullum studium, nullus conatus, nulla lucta, ut rationem captivemus, carni resistamus, pravis desideriis repugnemus, & à peccato aversi, ad Deum nos convertamus, ibi extra omnem controversiam certum est, nullam esse conversionem. Non ergo controversia est, An hæc in vera conversione adesse debeant? cum certum sit, conversionem in illis consistere.

Sed hæc est quæstio, hic est status controversiæ: Quæ sit causa efficiens, quæ talia in homine operetur? unde ho-

mo accipiat & habeat mutationem illam in mente & voluntate, bonum propositum, desiderium gratiæ; & breviter, unde homini in Conversione sit facultas, aptitudo, seu (ut ita loquamur) Idonëitas illa, quod velit & possit bonum cogitare, amplecti & facere? hoc est, An homo naturâ talia secum afferat, vel ex natura illa habeat? (ita autem nullâ ipsi opus esset conversione, & falsus esset Paulus, qui 2. Cor: 3. affirmat, non ex nobis ipsis, tanquam ex nobis ipsis, nos esse idoneos cogitare aliquid) An vero aliunde, seu ab extra, homini talia conferantur & donentur: hoc est, An Spiritus sanctus per verbum talia in homine operetur? Et iterum repetimus, Non esse controversiam, An Spiritus sanctus conversionem, seu mutationem aliquam in mente, voluntate & corde hominis operetur & effi-

ciat? Sed hic est status quæstionis, quomodo aut qualem Spiritus sanctus hominem ante conversionem inveniat? Seu, quid Spiritus sanctus in natura & viribus hominis, priusquam eum convertere incipiat, inveniat?

Ad eam vero quæstionem plana & vera est responsio, quod homo, qualis est ex prima nativitate, nequaquam habeat in sua natura, & in suis viribus, talem aptitudinem, & capacitatem, quod ex se poßit verbo non repugnare, sed concipere desiderium & voluntatem illud amplectendi & ei aliquo modo assentiri: Quodq; hæc sententia recta & vera sit, ex his scripturæ fundamentis manifestum est.

Primò enim Scriptura homini naturali, in rebus spiritualibus, & in conversione, adimit & detrahit in universum omnem aptitudinem, potentiam seu facultatem

cultatem, qua idoneus esse poßit, tanquam ex se ipso, vel ad cogitandum aliquid boni, 2. Cor: 3. Imò clarè dicit, etiam quando verbum prædicatur, quod homini naturali mera sit stultitia, 1. Cor: 1. De Deo enim & de rebus spiritualibus, nihil intelligit, nihil capit, 1. Cor: 2. Imò tota sapientia carnis mors est, & inimicitia adversus Deum Roman: 8. nullum habet verum desiderium eorum, quæ voluntati Dei grata fieri possent, nisi Deus utrumq; operetur ac donet, & velle & efficere, Phil: 2. nisi ipse hominem trahat, Joh: 6. ut ita in rebus spiritualibus prorsus nihil habeamus, quod non ab ipso acceperimus, 1. Cor: 4.

Secundò, Scriptura non tantum adimit homini naturali omnem aptitudinem & facultatem in rebus spiritualibus, sed tribuit ipsi ingenium seu in-

stinctum, naturam seu proprietatem, prorsus contrariam, & horribiliter crassam impotentiam. Ideo enim cor vocat durum, lapideum & incircumcisum Ezech: 11. & 36. Rom: 2. Deut: 10. quod â natura, tàm non potest se ad mutationem, seu conversionem parare, quàm Æthiops aut Pardus non potest colorem suum mutare, Jerem: 13. sed omne figmentum cordis tantùm malum est ab adolescentia Gen: 6. & 8. & inimicitia adversus Deum Rom: 8.

Tertiò, Scriptura totam conversionem, cum omnibus, quæ ad illam pertinent, tribuit soli Spiritui sancto, quod cor lapideum auferat & circumcidat, ac det cor carneum, Ezech: 36. Deut: 30. det oculos illuminatos, Eph: 1. operetur, ut velimus bono ac propenso animi proposito, Philip: 3. det verum timorem Dei, Malach: 2. veram pœnitentiam

& aversionem à peccato 2.Tim:2.fidem in Christum, Joh:6.&c.

Cum hac scripturæ sententia pulchrè consentiunt etiam Patres, præcipuè vero Augustinus. *Non ergo homo voluntate sua prævenit Deum, ut cognoscat & quærat eam gratiam, sed præcedit misericordissimâ gratiâ suâ Deus hominis ignorantis & nondum se quærentis voluntatem, & eum se scire & quærere facit*, Hypognost:lib:3.

Item lib:2. contra duas Epistolas Pelag:cap:9. *propositum bonum, studium quoque hominis bonum, quamvis cum esse cœperit, adjuvetur à gratia, non tamen incipit sine gratia.* Et de bono perseverantiæ lib:2.cap:13. *Nos vero volumus, sed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari, pro sua bona voluntate, hoc nobis expedit, & credere*

& d-

& dicere, hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submißa confeßio, & detur totum Deo. Item lib:2. contra duas Epistolas Pelag:cap:8. Quis potest bona cogitatione ad bonum, cor præparare? absit, ut sic intelligant, nisi superbi sui arbitrii defensores & fidei catholicæ desertores, &c.

Et in Concilio Arausicano cap:6. Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, & pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem divinitùs, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet agere valeamus, per infusionem & inspirationem Spiritus sancti, in nobis fieri confitetur, aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium. Nec ut obediens & humilimus, ipsius gratiæ donum esse consentit,

resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? Et gratiâ Dei sum id, quod sum, &c.

Hæc omnia vero Spiritus sanctus operatur, non sine aliquo medio, nec Enthusiastico modo, per arcanas revelationes, & inspirationes, vel per violentos impetus aut raptus è cœlo: sed ad illas suas operationes utitur verbo vocali, & administratione Sacramentorum, tanquam mediis seu organis in hunc usum à Deo ordinatis, per quæ (sicut Catechismus noster loquitur) totam Ecclesiam in terris vocat, colligit, illuminat sanctificat, & in Jesu Christo conservat in vera & una fide. Et quia Spiritus sanctus per verbum dona sua non statim uno momento perficit & absolvit, sed opera ipsius habent suos progressus, ex fide in fidem, sicut Paulu inquit Rom:1, ideò quando Spiritus san

ctus opus conversionis in nobis incepit, debemus in perpetuo exercitio verbi & Sacramentorum, ac in continuo usu acceptorum donorum perseverare & pergere, ac sine intermissione orare, sicut Christus docet, in parabola de quinque talentis, Matth: 25. verum enim est, quod ibi dicit, habenti dabitur & abundabit, ei autem qui non habet, illud etiam, quod videtur habere, auferetur ab eo.

Hac est vera ac sana doctrina, de hoc articulo, ex verbo Dei, quam Augustinus & Lutherus in certamine contra Pelagianos & Pontificios defenderunt, illam, Dei gratia nos gubernante & juvante, illibatam & incontaminatam, & contra Synergistas, & contra Enthusiastas, firmiter, sicut debemus, retinebimus. Simul vero etiam illa, quæ à regula veræ doctrinæ & sanorum ver-

borum nimium in alteram partem declinant, improbamus, ut quod quidam disputant, Hominem coactum omnia facere, conversionem fieri per modum coactionis. Tales enim modi loquendi recens sunt inventi, & manifestè pugnant cum verbo Dei.

DE JUSTIFICATIONE hominis coram Deo.

REctè dicit Apologia, hunc articulum esse præcipuum locum doctrinæ Christianæ, qui rectè intellectus, totam sacram scripturam illustret, & viam monstret ad veram agnitionem Christi & ineffabilis eius thesauri, quem in Christo habemus, ac in universa Biblia januam aperiat, sine quo articulo miseræ conscientiæ non poßint habere certam, firmam & necessariam consolationem

tionem, nec divitias gratiæ Christi agnoscere.

Sine dubio itaque, ubi doctrina huius articuli depravatur, non exigua aliqua particula, sed quasi corpus & fundamentum totius sacræ scripturæ adulteratur, via ad veram agnitionem Christi obstruitur, universa Biblia clauduntur, miseris & propter peccata turbatis & afflictis conscientiis omnis vera & solida consolatio, unà cum divitiis gratiæ Christi, sceleratè tollitur. Et nos quidem per peccatum adeo miserè corrupti sumus, ut immensum & ineffabile hoc malum non satis vel intelligamus, vel consideremus. Sed dolosus iste erroris Spiritus hoc benè novit, ideò enim nunquam quiescit, sed omnibus temporibus hunc articulum & vi & insidiis attentavit. Non enim ignorat, si aliquid, vel parum fermenti huic

articulo interspersetit, quod tota massa sit corrupta, & sinceritatem suam coram Deo amiserit, sicut Paulus illa similitudine de hoc præcipuè articulo utitur, Gal:5.9

Ut igitur Ecclesia Dei præmoneatur & præmuniatur, Deus ministerium verbi instituit, in quo, si rectè, ea qua decet fide, tractetur, Spiritus sanctus, non tantum veram sententiam huius articuli, sicut & reliquorum tradit & proponit, hoc enim non sufficit, neq; ita Principi pastorum Christo satisfit, sed præterea arguit etiam, sine respectu personarum, universum mundum, in hoc præsertim articulo de justitia, Johan:16. Est itaq; mandatum Dei, ac ideo necessarium, si ministerium rectè volumus tractare, ac Spiritus sancti præsentiam obtinere, ut omnes dissentaneas & contrarias corruptelas, quæ in hunc arti-

culum per quoscunque autores invecta sunt, ex verbo Dei refutemus ac damnemus.

Quomodo autem ante hæc tempora Romanus Antichristus ex hoc articulo fecerit quasi speluncam latronum, in qua plusquam tyrannicam animarum & conscientiarum carnificinam exercuit, & quomodo illa ex verbo Dei sit revelata, & refutata, abundè testantur Confessio Augustana, Apologia, Articuli Schmalcaldici & scripta Lutheri.

Non diu autem pòst Tridentinum Conciliabulum in idem lutum Ecclesiam rursus conjicere tentavit, dum tale Decretum faceret: quod justificatio hominis peccatoris coram Deo non consistat in sola gratuita reconciliatione seu remissione peccatorum, sed quod ad eam requiratur etiam sanctificatio, seu

renovatio interioris hominis, ita ut justitia nostra coram Deo sit infusa quædam qualitas, seu inhærens habitus, inclinans ad justè agendum, aut benè operandum.

Mox insecuta est formula Interreligionis, quæ docet, fidem, quatenus conjunctam habet charitatem, justificare per inhærentem justitiam.

Interim ex Papisticis istis lacunis moveri cœpit disputatio illa de bonis operibus, quod etiam ad salutem sint necessaria. Vnde in quasdam Ecclesias hæ corruptelæ invectæ sunt, quod justitia fidei habeat duas partes, in quibus consistat, & quibus perficiatur, nempe reconciliatione & renovatione. Item, promissionem gratiæ applicari fide cordis & confessione oris: Imo cœptum fuit disputari, An dimicandum sit, de par-

ticula SOLA in articulo justificationis.

Cum vero hoc modo Ecclesiæ nostræ super hoc articulo undique, domi & foris, ab hostibus & à sociis, infestarentur & impugnarentur, illo periculosissimo tempore accessit etiam Osiander, qui omnes vires ingenii & eruditionis cò contulit, ut suo ac prorsus novo modo hunc articulum perverteret. Et quanquam perversum illud Osiandri studium, peculiari quadam dispensatione & gratia Dei, per judicia Ecclesiarum Augustanæ Confessionis, ex firmis scripturæ fundamentis, refutatum & damnatum est, non tamen ea, quâ decuit gratitudine, beneficium hoc Dei acceptum fuit, sed quæsiti fuerunt subinde prætextus, non ut perniciosus iste error tanquam damnatus ex Ecclesia removeretur, & miseræ conscientiæ, vel libera-

berarentur ab illo errore, vel ad cavendum illum, sicut æquum erat, præmonerentur, sed multò magis ut venustis coloribus corruptela illa palliaretur, & fidelibus Christi ministris silentium imponeretur, ne corruptelam illam taxare, arguere, & refutare liceret, (quæ tamen necessaria pars est ministerii) vel certè, ut certamen illud leviter & contemptim haberetur, tanquam inanis λογομαχία seu bellum Grammaticale, & contentio verbalis, ubi alter alterum non satis intelligat, vel non velit rectè intelligere.

Et hoc est præcipuum nostrum ac magnum illud peccatum coram Deo in hisce terris, quod per aliquot annos cervicibus nostris incubuit, de quo gravis nobis reddenda esset ratio in extremo die, si illud discedentes ex hac vita retineremus, & non prius ita deponeremus, ut se-

ut seriâ agnitione & detestatione illius peccati veram ageremus pœnitentiam, & verâ fiduciâ cordis remißionem apud Deum propter Christum mediatorem quæreremus.

Extrema itaq; neceßitas, in hisce præsertim locis, flagitat, quia multa millia animarum, partim turbata, partim seducta sunt, Ecclesia contristata, & nomen Dei blasphematum, ut falsa illa doctrina, publicè, disertis verbis, & nominatim rejiciatur & damnetur, ut illi qui seducti sunt, in viam reducantur, Ecclesiæ reconcilientur, & ipso facto coram Deo & hominibus testatum faciamus, nos falsam ac erroneam illam doctrinam perfecto odio, juxta Psalmum 139. odisse, & alienam vocem, sicut veras Christi oviculas decet, fugere, Job: 10.

Status

Status autem controversiæ Osiandri, ob quam ab omnibus bene reformatis Ecclesiis, tanquam falsus dogmatistes reprehensus fuit, non in eo consistit: An ad remissionem peccatorum opus nobis sit gratia Dei, in merito Christi? An Deus sit Essentialis justitia? An illa in credentibus habitet & operetur, ut incipiant justè agere? An necessarium sit, ut in homine sequatur renovatio, postquam fide justificatus est? Hæc omnia, inquit Osiander, utrinq; fatemur & docemus, in refutatione folio D 3 fac:2. E.2. L 2. fac: 2 M.2.

Sed hic fuit status quæstionis & controversiæ, de qua Osiander dimicavit: quid ex his omnibus sit vera æterna justitia peccatoris coram Deo ad salutem & vitam æternam: de qua justitia scriptura & præcipuè Paulus disputat Roman: 3. & 4. quamq; vocat justitiam

Dei:

Dei, seu justitiam fidei, sicut Osiander ideo totam suam disputationem ad hæc loca refert in Confeßione folio G.1 H.3. I.1. S.4. T.2.3 & 4. V.1. &c. Et de hoc statu controversiæ judicia Ecclesiarum quæsita fuerunt.

De illa autem Justitia Dei seu fidei Osiander Negativè ita docuit, quod ea non sit Christus verus Deus & homo, in suo merito, hoc enim nec ex scriptura, nec aliunde probari posse dicit, in refutatione sua K.4. nec esse justitiam illam, gratuitò imputativam, hanc enim sententiam, ne quidem carnalem aut philosophicam esse, sed phantasticam, asininam, bovinam, aut si quid adhuc crassius dici posset, neque enim vel philosophiam, vel carnem ratione præditam, ita ineptire de justitia, in Schmeckbier. G.2. H.3.

Imo

Imò addit: Si Deus hoc modo, gratuita scilicet imputatione, hominem justificaret, aut pro justo haberet, tunc erraret ut falsus judex, & patronus nequitiæ, in Confeßione G. 2.

Nec impletionem legis (etiam à Christo præstitam) esse justitiam: phanaticam enim & hæreticam esse hanc falsitatem, in Schmeckbier E. ultimo.

Nec remißionem peccatorum & gratuitam acceptionem indigni & perditi peccatoris ad vitam æternam propter Christum, esse nostram justitiam, hoc enim philosophicè, carnaliter & inconsideratè dici, in Confeß: G.2. esse præstigias philosophicas, quæ justitiam fidei obscurent, H.1. esse somnium & figmentum rationis, non veram aut solidam Justitiam, nec in cœlo, nec in terra, in Refutatione I. ultimo. Imò non veretur

scri-

scribere, esse Idololatriam & blasphemiam, qua nullam deteriorem ne ipse quidem Satan excogitare posset, ad quam Osiander non in corde tantum, sed in ipsis etiam ossibus & medullis exhorrescat, ita ut ad hanc collati furores Carlstadii, Cinglii, Storcii, &c. jocus tantum sint, in Refutatione K. 1. O. 4. in Confessione G. 1. in Schmeckbier C. 2. Scribit & hoc, Christum hoc modo à nobis prædicatum esse Christum pictum in Regno Satanæ, in Schmeckbier A. 2. Et propterea criminatur Augustanam Confessionem, quod sit conspiratio & conjuratio, in Refutatione B. 2. R. 2. omnes ministros Christi, qui imputativam justitiam docent, vocat consortes proditoris Judæ, in Confessione H. 2. à Diabolo fascinatos & agitatos, in Confessione D.2. H.2. imò esse canes. sues & vulpes, Z. 1. Qui verbum Dei ab-

jurarint, in Refutatione B. 2. Et hæc est Osiandri Negativa, quâ sententiam Augustanæ Confessionis de justificatione tam spurcis verbis convellere & conspurcare voluit.

Contra vero Osiander affirmativam sententiam suæ doctrinæ ita proposuit & declaravit, in Confess: O. 3. Y. 1 justitiam in articulo justificationis, d qua scriptura & Paulus loquuntur, a quam certò sequitur & necesse est sequ salutem & vitam æternam, esse probi tatem, in qua & sub qua omnes ali virtutes intelligantur & comprehen dantur. Et hoc modo utimur vocabul justitiæ, quando de justitia fidei loqui mur, inquit Osiander expreßè, clarè & distinctè. Et addit: Si quis quærat quid sit justitia seu probitas illa? Respondeo: Justitia est illud, quod justun inclinat & moveat, ad justè agendum.

sin

sine quo nec justus esse, nec justè agere potest. Imo quod amplius est, quo Christus sanctissimam suam humanitatem justificavit, in Confess: H.2. & 3. O.2. T.1. & 2. in R fut: I.2.

Et hanc Justitiam dicit esse Deum ipsum, in Confess: H. 2. aut essentiam Dei O.2. Q.3. Quod si quaeratur, secundum quam naturam Christus sit nostra justitia? Ad hanc quaestionem, inquit Osiander, planè & perspicuè respondeo, quod secundum divinam naturam sit nostra justitia, & non secundum humanam naturam.

Verbum autem JUSTIFICARE contendit Osiander non significare justum reputare & absolvere, hoc enim non esse Dei, sed iniqui judicis. Justificare autem nihil aliud vult esse, quam re ipsa aut ipso facto justum facere, in Confessione F 4. G 1. et 2. justitiam influere,

in Refutatione I.2.L.1.justitiam infundere, peccatum mortificare, peccatum expurgare, & prorsus delere. Et hoc demum est negotium, hic actus nostræ justificationis, inquit Osiander in Confess: B.2. in Schmeckbier D. 4. in Refutatione D. 2. in Nachtraben A. 4. in Concione super 6.cap: ad Roman: B.2.

Hæc est sententia doctrinæ Osiandri, quam Negativè & Affirmativè adeo disertè, expressè, & perspicuè explicavit. ut ipse sæpius soleret & dicere & scribere, Oportere truncum & stipitem esse, non autem hominem rationalem, qui prætenderet, se non posse intelligere, quid Osiander sentiret aut vellet. Et tamen sunt, qui disputent, Censuras Ecclesiarum non rectè intellexisse Osiandrum, nec malam esse ipsius sententiam, si rectè intelligitur.

Contra

Contra hasce corruptelas omnes Papisticas, Interimisticas & Osiandricas, sana & salutaris sententia veræ doctrinæ de Justificatione & Justitia hominis peccatoris coram Deo, ex solidis & perspicuis verbi Dei fundamentis, hæc est,

Quod Deus hominem principio creavit ad imaginem suam, hoc est, in natura integra & pura, in justitia & sanctitate veritatis, Genes:1. Eph: 4. Et quia eius justitiæ regula & norma est Lex Dei, sive Decalogus, si itaq; natura nostra & tota vita cum omnibus operibus huic normæ justitiæ Dei adhuc per omnia, sine ullo defectu, conformis esset, sine dubio per legem justi essemus coram Deo, Rom. 2. ac per consequens eo ipso verè haberemus vitam æternam, Levit. 18. Matth. 19.

Postquam vero Adam lapsus est, atq; ita ex ipso & per ipsum peccatum in omnes homines pervasit, Rom: 5. non imitatione, sed natura, Psal: 51. Juxta justum itaq; judicium & divinam sententiam Legis, peccatum secum trahit, tanquam debitum stipendium, iram Dei, maledictionem, & mortem æternam, Gal: 3. Rom: 6. idq; super omnes homines Rom: 2. & 5. Solum enim peccatum est, quod nos â Deo, & Deum à nobis, divellit, ac faciem eius à nobis abscondit, Esa: 59.

Cumq; hoc judicium, & hac sententia Legis, quod scilicet pœna peccatorum sit maledictio & mors æterna, ad omnem æternitatem non posset mutari aut solvi, nisi lege impletâ Matth: 5. & post lapsum nullus, in hac terra, homo, ne quidem inter sanctißimos, inventus sit sine peccato, Psalm: 32. ac per conse-

quens, nemo innocens, & justus coram Deo, Psal: 143. Deus itaq; ex mera charitate & gratia commiseratus tristissimum statum perditi ac damnati mundi, Johan: 3. dedit non solam aut meram humanam naturam tantùm, illa enim sola non poterat æquivalens precium esse, pro peccatis totius mundi, nec immensum illud onus judicii & iræ Dei sola sustinere; nec vero solam etiam divinam naturam, quæ est essentialis justitia, dedit, illa enim, quia immortalis est, non poterat alienam culpam & pœnam mortis in se recipere: sed filius Dei homo factus est ex beata virgine Maria. Illum igitur, qui sanctus erat, Luc:1. & peccatum non noverat Esa: 53. Deus fecit peccatum 2 Cor: 5. conjectis in ipsum omnibus totius mundi peccatis Esa: 53. & fecit ipsum innocentem victimam, quæ totius mūdi peccata

portaret & tolleret, Joh: 1. ita ut propter aliena illa in se recepta peccata oportuerit ipsum totam pœnam, peccatis juxta legem debitam, in se derivare & sustinere pro omnibus Esa: 53.

Atq; hoc modo justificatio, quam lex exigebat, est in nobis impleta, Rom: 8. dum Christus ea, quæ lex à nobis flagitat, perfectißimâ obedientiâ pro nobis præstitit & implevit, quæ vero à nobis in legem commissa sunt, illa acerbâ suâ paßione & morte, ea satisfactione, quam Lex præscribit, pro nobis persolvit & expiavit. Sicut ergo peccatum per unum hominem intravit in mundum: ita per unum hominem (qui simul etiam naturâ Deus est Joh: 1.) justitia rursus restituta est Rom: 5.

Hæc justitia in Christo nihil aliud est, quam humilis & innocens obedientia totius huius personæ sub lege, Gal: 4.

ſicut peccatum primi hominis, unde omnes conſtituti ſumus peccatores, eſt ipſius inobedientia, Rom. 5.

Hæc vero juſtitia communicatur nobis, non propagatione carnali, ſeu infuſione naturali, ſicut peccatum, ſed abundãtiam gratiæ & doni juſtitiæ oportet nos accipere, hoc eſt, neceſſe eſt fieri applicationem Rom: 5. Applicatio vero illa fit per fidem, ſicut Paulus inquit Roman: 3. Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum.

Credens itaq; juſtificatur coram Deo, non propter opera vel præcedentia, vel ſequentia, quæ etiam ſecundum Legem, vel fecit, Eph:2. Tit:3. vel adhuc facit, 1. Cor:4. ſed ſine omnibus operibus, ex mera ac ſola gratia, non per infuſionem novarum qualitatum, nec per ſequentem inhabitationem divinæ

naturæ, sed per redemptionem, quæ est per Christum Jesum, quem proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine eius, Rom: 3. in quo sanguine justificati sumus Rom: 5. ab omnibus peccatis mundati, 1. Joh: 1 & coram Deo salvi in justitia illa Christi, nobis ita imputata, quod peccata nobis remittuntur & non imputantur, Rom: 4. 2 Cor: 5.

Hæc est vera & indubitata sententia verbi Dei de justificatione, est etiam forma sanorum verborum. Et quia inde manifestè patet, ad justificationem nostram pertinere hæc omnia, totum scilicet actum redemptionis, in morte & sanguine Christi, & remißionem peccatorum: Scriptura itaq; indifferenter justitiam hisce omnibus tribuit, ut, justificati sumus per redemtionem Rom: 3. justificati in sangvine eius Rom: 5. Remißio peccatorum est nostra justitia, Rom: 4.

Transitus Christi ad Patrem est nostra justitia, Joh:16. Christus est nostra justitia 1. Cor:1. Ibi enim Christum intelligit scriptura, non tantum secundum humanam naturam, sicut Stancarus comminiscitur, nec tantum secundum divinam naturam, sicut Osiander fingit, sed intelligit Deum, qui ex stirpe Davidis verus homo natus, populi sui Rex & Redemptor est Jer:23. & 33.

Et quidem satis atrociter ab Osiandro peccatum esset, si perversam & damnatam suam doctrinam, etiam sine convitiis & acerbitate sparsisset, quàm vero præterea spurcis & horrendis convitiis ac blasphemiis exagitârit & abjecerit illa omnia, quæ juxta scripturam ad nostram justificationem pertinent, suprà ex ipsius scriptis, quæ in his regionibus publicè edita sunt, notatis paginis monstravimus.

Pontificii vero etiam, ad hodiernum usq; diem, illum honorem Salvatori nostro Christo, ac sanctissimo eius merito non volunt concedere, ut ipse solus, cum suo merito, ad justificationem nostram sufficiat, sed nostra opera, sæpè etiam electitia, & à Deo nusquam mandata, debent, juxta ipsorum doctrinam, justificationem nostram coram Deo perficere & absolvere. Ita sanè etiam Pseudoapostoli docebant, Omninò scilicet in Christum esse credendum: extra ipsum enim & sine ipso neminem posse justificari & salvari. Sed quia addebant Actor:15. ad justitiam & salutem etiam opera legis esse necessaria, Paulus igitur, & per Paulum Spiritus sanctus pronunciat Gal:2. Idem hoc esse, ac si manifestè quis blasphemaret, Christum frustrà esse mortuum.

Porro

Porro Pontificii, ne quid in articulo Justificationis salvum & sanum relinquant, aliud praterea falsum dogma habent, quod etiam in Tridentino Conciliabulo peculiari decreto retinendum mandarunt, Esse scilicet hæreticam jactantiam, anathemate dignam, si quis certò & absq; hæsitatione credat, peccata sibi esse remissa, aut absq; dubitatione apud semetipsum statuat, se esse justificatum, ac in ea fiducia acquiescat. Hoc quidem credere nos posse, Deum esse misericordem, Christum meruisse salutem, & Sacramenta suam habere virtutem & efficaciam, sed unumquemq; credentium, apud semetipsum certò statuere velle, se absq; dubitatione habere Deum propitium, hoc vero clamitant, magnam esse præsumptionem. Sed adversus falsum hoc dogma, quod miseris conscientiis omnem veram consolationem

nem funditus tollit, & eripit, ac in perpetuos dubitationum fluctus, & in ipsam deniq; desperationem conjicit, non tam utraq; manu, quam toto pectore tenendum est illud fundamentum Pauli Rom: 4. Ideo non ex Lege, nec ex operibus, justitia & salus, sed ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio, Ephes: 3. In Christo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius. Rom: 8. Quis accusabit adversus electos Dei, &c.

Pugnat etiam Pontificium illud dogma manifestè contra Patres. Ita enim scribit Origenes lib: 9. cap: 12. ad Rom. Fides quæ sperat & credit, & absq; ulla dubitatione confidit, in nobis est. Et Hilarius lib: 10. de Trinitate: Hanc in nobis, quæ ex fide est, justitiam Apostolus expectans, incertæ atq; infidæ ambiguitatis irreligiositatem removet.

Idem cap: 5. in Matth: Ergo Regnum cœlorum, quod Prophetæ nunciaverunt, Johannes prædicavit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate sperari, alioqui justificatio ex fide nulla, si fides ipsa sit ambigua. Augustinus in Expositione Psalmi 39. Non auderem converti, nisi securus de remißione; non auderem perseverare, nisi securus de remißione, &c.

DE BONIS OPERIBUS.

QVomodo doctrina de bonis operibus sit tradenda? Quæ sint bona opera? Quomodo fieri poßint? Propter quas caussas sint facienda? Quomodo Deo placeant & accepta sint, ita tamen ut nullo modo merita sint gratiæ

Dei & remißionis peccatorum? Hæc omnia in Confeßione Augustana & in Apologia clarè & distinctè ex verbo Dei sunt explicata, ut non opus sit, ea hoc loco repetere. Præcipuos igitur tantum errores, qui ante & post mortem Lutheri à quibusdam in hunc articulum invecti sunt, recensebimus, & ex fundamentis scripturæ refutabimus.

Fuerunt igitur Quidam, qui sine aliqua justa caussa, ex mera petulantia impugnarūt usitatas Propositiones, quæ in nostris Ecclesiis receptæ & semper usurpatæ fuerunt: Quod scilicet bona opera sint necessaria. Quod bona opera necessariò sequi debeant fidem. Quod necessariò debeamus bona opera divinitus mandata facere. Quæ propositiones ita usurpantur, ut contra carnis pravitatem, quæ ad bonum est ignava

va & tarda, & sua concupiscentia semper fertur ad Epicuream securitatem, & effrenem licentiam, renati inde moneantur, non esse adiaphorum, indifferens seu arbitrarium, bona opera vel facere vel omittere nostro arbitrio, sed Deum velle, & ipsius mandatum esse, ut reconciliati ambulent in bonis operibus, sicut Christus inquit Joh: 15. Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. Et 1. Joh: 4. hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui Deum diligit, diligat etiam proximum.

Et filius Dei in opere redemptionis hunc sibi finem propositum habuit, non ut nos inde privilegium turpitudinis, & licentiam liberè ac impunè in flagitiis vivendi arriperemus, sed ut mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum Tit: 2. utq; vas suum quisq; poßideat in sanctificatione

& honore, non in paßionibus concupiscentiæ, 1. Thessal: 4. & liberati serviamus ipsi in justitia & sanctitate coram ipso, Luc: 1.

Tales sententiæ multæ extant in verbo Dei. Ipsa enim scriptura doctrinam illam iisdem planè modis loquendi explicat: Debitores sumus Rom: 8. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem vos diligatis Rom: 13. & Luc: 17. Quæ debuimus, fecimus. Imò disertè in explicatione huius doctrinæ usurpat vocabula necessitatis, ut Rom: 13. Necessitate subditi estote, 1. Cor: 9. Necessitas incumbit mihi, Actor: 5. Oportet Deo magis obedire quàm hominibus, Actor: 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.

Nec vero in Augustana Confessione & in Apologia tantum usitata est illa propositio, sed Lutherus etiam ita loqui-

tu-

tur, ut de votis Monasticis, opera in decalogo mandata, non sunt quidem ad justitiam & salutem necessaria, tamen necessaria sunt, neq; enim omitti possunt, etiam præsente fide. Idem in disputatione de operibus legis & gratiæ: Necessaria sunt opera omnia tam legis quam gratiæ.

Manifestum igitur est, propositionem illam (quod bona opera sint necessaria) veram esse, tum quod ad sensum, tum quod ad formam sanorum verborum in ipsa scriptura traditam attinet. Atq; ideo contra quoscunq; phanaticorum clamores in Ecclesia retinenda est.

Addenda tamen est hæc commonefactio, Propositionem illam non esse intelligendam de necessitate coactionis, quasi renati non ex animo seu ex corde, sed præter & contra voluntatem, à Lege coacti, deberent bona opera

facere, ita ut in speciem tantùm extorta quædam externa conformitas actionum esset cum Lege Dei, à qua tamen cor longe abesset. sicut hypocritæ solent facere Matth:15. Scimus enim talem obedientiam Deo non placere, quia hilarem datorem diligit, qui non ex molesta & coactitia necessitate aliquid faciat, 2. Cor:9. sed obediat ex animo Rom:6. non coactè sed voluntariè & propenso animo, 1. Pet:5. Ideo enim fideles David nominat, populum spontaneum, Psal:110 Hoc autem est opus & donum Spiritus sancti, qui per fidem cor purificat & novum hominem creat, qui Lege Dei delectatur, Psal:51. Eph:2. & 4. Rom: 7. ut finis mandati sit, Charitas ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, 1. Tim:1.

Præcipuè vero necessarium est, ut in doctrina de bonis operibus, clarè &

distinctè ex verbo Dei explicentur causæ, propter quas facienda sunt bona opera, illæ vero in Confessione Augustana & in Apologia brevi & plana perspicuitate indicatæ sunt, nempe facienda esse bona opera, propter voluntatem & mandatum Dei, Item ad exercendam, ostendendam, & firmandam fidem, ut ex fructibus colligi & statui possit, nos esse arbores bonas, & verè nos vocatos esse ad regnum gratiæ, Item facienda sunt bona opera etiam propterea, ut Deo grati simus, ipsi præstemus honorem & obedientiam ipso facto, fidem nostram confiteamur coram universo mundo, & multos conversatione nostra ad pietatem excitemus, utq; ita Deus glorificetur, Matth: 5.

Hoc vero loco Spiritus erroris & mendacii vehementer laborat & sudat, ut inter causas, propter quas bona ope-

ra sunt necessaria, hanc etiam posset assuere & intrudere, quod ad salutem & ad vitam aeternam sint necessaria, aut saltem quod ad retinendam gratiam sint necessaria. Sentit enim, se non posse ulla occasione commodiore, aut specie plausibiliore, articulum justificationis tectè ex insidiis, & quasi per cuniculos invadere & depravare, quam sub hoc periculoso & pernicioso operculo. Ideo enim tempore Caesareae interreligionis (quae ita vocatur), cum professi hostes & adversarii viderent, se non posse uno impetu doctrinam nostram in articulo justificationis labefactare & subvertere, hanc primam machinam admoverunt, & rem callidè eò deduxerunt, quod per quosdam ex nostris has propositiones Ecclesiis nostris obtruserunt, Bona opera etiam ad salutem esse necessaria,

ſaria, & impoßibile eſſe, ſine bonis operibus ſalvari.]

Cum vero alii pii & fideles doctores noſtrarum Eccleſiarum animadverterent, quid Satan, partim per adverſarios, partim per amicos & ſocios hiſce propoſitionibus quæreret, exortum eſt inde certamen illud de neceßitate bonorum operum ad ſalutem, quo adhuc Ecclesias turbari & diſtrahi, non ſine dolore, videmus. Adeo vero apud patronos harum propoſitionum nihil effectum eſt, quod errorem ſuum ex Pontificiis lacunis derivatum & deductum, non tantum non emendarunt, ſed peiori acceßione inſuper auxerunt. Longius enim ſubinde â verbo Dei diſcedentes cœperunt docere, etiam juſtificationem peccatoris conſiſtere non tantum in gratuita reconciliatione, verum etiam in renovatione, Item, applicatio-

cationem promissionis gratiæ fieri non tantum fide Cordis, verum etiam confessione Oris tanquam opere.

Alii in Pontificium illud cœnum adhuc profundius se immerserunt, ut non vereantur affirmare, Bona opera ad ipsam etiam justificationem omninò esse necessaria, tanquam adjunctum fidei.

Atq; inde Patroni regni Pontificii maximas concepêre spes, fore ut hac ratione collapsæ regni istius abominationes paulatim restituantur & restaurentur. Ideo etiam propugnatores harum Propositionum supra modum commendant, & ipsis testimonium perhibent, quod eo ipso à nobis deficere & ad partes Pontificias transire non obscurè velle videantur.

Ipsa igitur necessitas flagitat, si doctrina articuli Justificationis seriò nobis

cordi

ordi est, si puritatem eius retineri, & illa ipsa potißima doctrina nos à regno Antichristi, juxta mandatum Dei Apoc: 18. sejunctos esse cupimus, ut propositiones istæ ex firmis ac perspicuis scripturæ fundamentis refutentur & damnentur.

Quod facilè, planè & perspicuè fieri potest, si status controversiæ retineatur, sicut ab ipsis propositionum harum Patronis ponitur, quando conantur ostendere, se à sententia Papistarum quam longißimè abesse. Dicunt enim propositiones illas (quod bona opera ad salutem sint necessaria, & quod impoßibile sit quemquam sine operibus salvari) intelligendas esse, non de justificandis, sed de justificatis, quod illis scilicet, qui fide propter Christū justificati sunt, adhuc bona opera ad salutem sint necessaria, ita ut impoßibile sit, illos sine ope-

ribus salvari. Quod si verum est, necesse erit aliam esse viam & rationem, qua justificamur, & aliam, qua salvamur, ita ut propter Christum sola fide sine operibus poßim quidem justificari, non autem sine operibus sola fide poßim salvari, & ita justitia in Christo erit sine salute.

Qualis vero hæc contumelia sit justificationis in Christo, & quomodo â scriptura dissentiat, quisq; vere pius inde statim animadvertere potest, quod scriptura justificationem & salvationem hominis coram Deo tam arctè conjungit, ut alterum pro altero accipiat. Paulus enim ex professo confirmaturus Doctrinam de gratuita justificatione hominis, adducit probationem ex sententia scripturæ, quæ de beatitudine loquitur, Beati quorum remissæ sunt iniquitates Rom: 4. & dicit, hanc esse beatifi-

catio-

cationem seu salvationem hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus.

Nec scriptura aliud medium seu organon ponit, per quod salus nobis applicetur, quam fidem, sine operibus: particulas enim exclusivas eodem modo & iisdem verbis ponit in articulo salvationis, sicut in articulo justificationis, ut ostendat, opera eodem modo excludi à negotio & actu salvationis, sicut excluduntur à negotio & actu justificationis, ut Eph: 2. Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, 2. Tim: 1. Salvos nos fecit & vocavit vocatione sancta, non secundum opera nostra, Tit: 3. Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.

Planum itaq; est, propositiones illas de necessitate bonorum operum ad salutem

lutem pugnare cum forma sanorum verborum in sacra scriptura præmonstrata, sicut & cum Augustana Confeßione pugnant, quæ clarè tradit, opera tàm non ad salutem esse necessaria, quàm ad justificationem non sunt necessaria, & ad hoc allegat pulcherrimum dictum Ambrosii: Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide, gratis, accipiens remißionem. Lutherus etiam, cum Anabaptistæ propositionem hanc urgerent, & alii quidam conarentur eam defendere, publica disputatione eam explosit, Anno Domini 1536. Postea etiam in Genes: cap: 22. Fucos, colores & glossas, quibus pingebatur, ei detraxit.

Neq; hoc verum est, quod bona opera necessaria sint ad retinendam seu conservandam salutem, Scriptura enim

principium, medium, & finem salutis nostræ tribuit gratiæ Dei per fidem, per hanc aditum habemus ad gratiam, per hanc stamus in gratia, per hanc gloriamur in spe gloriæ Dei, Rom: 5. virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quæ finis est fidei, 1. Pet: 1. si quidem permanemus in fide fundati & stabiles Colos: 1.

Hæc fundamenta, quæ firma sunt, manifestè ostendunt, nos non ex petulantia, in odium aliorum movere contentionem inutilem, de rebus non necessariis, sed ea necessitas certamen hoc nobis imponit, quod alias puritatem doctrinæ in summis ac præcipuis articulis, non possumus retinere. Nec turbamur illa calumnia, qua adversarii institutum hoc nostrum apud simpliciores onerant & prægravant, quasi sentiamus, eos qui per fidem justificati sunt,

posse

posse justos manere & salvos fieri, etiamsi propositum reassumant & retineant, quod velint concupiscentiis carnis obedire, & de emendatione vitæ nunquam cogitent. Impia enim Epicuræa & Diabolica hæc opinio in Apologia, & in Schmalcaldicis articulis expressè ac meritò damnatur, & nos eam in nostris Ecclesiis pro damnata habemus & haberi volumus.

Omninò enim verum est, quod Paulus tam serio & tanto verborum pondere scribit ad eos, qui conversi, fideles, justi & salvi facti erant, 1. Cor:6. Gal: 5. Eph: 5. Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt, Rom: 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.

Quod autem illi, qui admittunt actiones contra conscientiam, & carnis concupiscentias perficiunt, non habent nec retinent justitiam & salutem, non

ideo

ideo fit, quasi præter Christum fide apprehensum, opera nostra, vel ad salutem, vel ad conservandam & consumandam gratuitam justificationem necessaria sint: Sed propter hanc causam fit, quia tales pœnitentiam, quæ est aversio â peccato abjiciunt; & veram fidem, quæ Christum ideo quærit & apprehendit, ut â peccato salvetur, amittunt & abnegant, atq; ita Spiritum sanctum, qui per fidem habitat in corde contrito, Esa: 66. Ephes: 3. Gal: 3. excutiunt. Illi igitur justitiam & salutem non possunt vel habere, vel retinere: quia nisi pœnitentiam egeritis, omnes peribitis, inquit Christus Luc: 13. Et sine fide, nec justitia nec salus potest vel haberi, vel retineri, Joh: 3.

In hunc usum veteres verum & necessarium discrimen inter peccatum veniale seu non regnans, & inter mortale seu

le seu regnans peccatum, tradiderunt, non hoc sensu, quasi Christus non pro omnibus peccatis satisfecisset, aut quasi quædam contra Legem Dei peccata essent tàm levicula peccatilla, seu vitiola, ut pro illis nos ipsi, solutione faciali, judicio Dei satisfacere possemus, sicut Pontificii somniant: sed hoc voluerunt, distinctione illa peccati mortalis & venialis, indicare, quod in conversis (de illis enim accipienda est hæc distinctio, cum in non renatis omnia peccata sint mortalia) quædam sint peccata, per quæ nec pœnitentia, nec fides, nec Spiritus sanctus excutitur, atque ita nec justitia, nec salus amittitur, sed retinetur bona conscientia, quæ certa est, se Deum habere propitium. Tale peccatum est originalis depravatio, habitans in carne, unde pullulant cogitationes & concupiscentiæ, illicientes & solicitantes

nos ad vitia. Quando verò pravis illis concupiscentiis per Spiritum repugnamus, actiones carnis mortificamus, nec eas regnare permittimus, ut perficiantur, sed fide petimus sordes illas tegi, & non imputari, tunc retinemus justitiam & salutem, sicut Paulus inquit Rom: 8. Si actiones carnis Spiritu mortificaveritis, vivetis. Ratio vero est, quia tunc manet in nobis pœnitentia, hoc est, detestatio peccati, manet etiam fides, quærens, apprehendens, & retinens Christum, manet ergo etiam justitia & salus.

Sed quando renati pravam illam radicem peccati in carne non curant, non repugnant, sed delectantur concupiscentiis carnis, non student, non petunt, nec optant, ut actiones carnis mortificentur, sed captant occasiones, ut perficiantur: Tales certum est rursus ipsos esse, & nec justitiam, nec salutem

habere, ſicut Paulus inquit, Rom: 8. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Non autem ideo, quaſi bona opera ad ſalutem ſive ad juſtitiam neceſſaria ſint: ſed ideo, quia abjectâ pœnitentiâ fides non manet, atq; ita Spiritus ſanctus contriſtatus & excuſſus, ac bona conſcientia amiſſa eſt.

Hoc vocatur peccatum regnans, ideo quod talis homo libertati, qua per Chriſtum à peccato liberatus eſt, Joh: 8. renunciat, & rurſus ſervus factus eſt peccati, â quo devictus eſt, 2.Pet:2. Vocatur etiam peccatum mortale, quia, qui in huiuſmodi peccatis perſeverat, non eſt particeps vitæ æternæ, ſed reus rurſus factus eſt mortis æternæ. Sicut alterum vocatur veniale peccatũ, quia manet ſub umbraculo gratiæ & ſub veniа, ac per fidem in Chriſtum remittitur, licet per ſe, ſi Deus cum eo in judici-

m intraret, æquè esset damnabile, atque
lterum illud, quod mortale vocatur.

Porro illam etiam propositionem,
uæ à quibusdam sparsa est, quod bo-
a opera sint ad salutem perniciosa, im-
robamus ita, ne sine distinctione & de-
aratione in hisce Ecclesiis usurpetur,
m non simpliciter, sed tantum secun-
um quid, vera sit, sicut Paulus eam
clarat, Phil: 3.

DE SACRAMENTIS IN genere, & de Baptismo.

CVm ante annos 50. Lutherus inci-
peret doctrinam Ecclesiæ pristinæ
Apostolicæ puritati restituere, non
os tunc habuit adversarios, contra
os in hoc articulo de Sacramentis di-
cavit, quàm solos Pontificios, pro-
erea, quod illi plura Sacramenta
mminiscuntur, quam Christus unicus
cramentorum author in Novo Testa-

mento instituit, & ea pro Sacramentis venditant, quæ nec expressum mandatum, nec promißionem gratiæ & remissionis peccatorum habent, sicut Sacramentorum proprietas requirit; imo quod in Sacramentis præcipuum est, verbum scilicet, ociosis, ineptis, & superstitiosis fabellis & cæremoniis prorsus obscurarant, verum usum Sacramentorum perverterant, & hominibus persuaserant, Sacramenta prodesse ex opere operato, etiam sine bono motu seu fide utentis.

Cum vero hæc commenta à Luthero verbo Dei potenter essent refutata, sicut manifestè patet in Confeßione Augustana, in Apologia, & in scriptis Lutheri, non tamen quievit hostis ille generis humani, sed quia non ignorat, quos thesauros divitiarum gratiæ Dei Ecclesia in Sacramentis habeat, excitavit

anab

Anabaptistas, per quos Baptismum oppugnaret, & Cinglium, per quem Cœnam Dominicam ita invaderet, ut corpus & sangvinem Christi inde tolleret.

Cum vero neq; hac via Satanæ omni ex parte, quod cupiebat, succederet, propterea, quod Lutherus Sectariis istis fundamentum verbi Dei magnâ perspicuitate adeo solidè opponeret, ut ne portæ quidem inferorum illud labefactare possent, exorti sunt alii, qui contendunt, Sacramenta tantum esse externa visibilia signa gratiæ Dei, non quod per illa Deus gratiam suam, & beneficia Christi offerat, exhibeat & applicet singulis, qui in vera fide Sacramentis illis utuntur, sed postquam gratia jam antea, alio modo, accepta est, tunc demum volunt Sacramenta esse signa commonefactiva de accepta gratia.

Quidam ingenii acumen adhuc subtilius ostentare conantes, evidentia veritatis convicti, fateri coguntur, in Sacramentis distribui quidem & exhiberi gratiam & remissionem peccatorum, sed hanc exhibitionem separant & divellunt ab externis actionibus sive elementis, quæ in Sacramentis non per se nuda subsistunt, sed verbo Dei vestita & comprehensa sunt. Ita in Baptismo divellunt exhibitionem remissionis peccatorum ab externa actione Baptismi, quasi illa per hanc non offeratur & exhibeatur.

Cum itaq; Ecclesiæ, quæ hisce opinionibus miserè turbatur & graviter quassatur, valdè multum intersit, ut ex verbo Dei (inde enim hoc elogium meretur, quod vocatur columna & fundamentum veritatis 1. Tim: 3.) certa reddatur, quid Deus per Sacramenta cum

ca agat, & quid conſolationis inde habeat, valdè neceſſarium eſt, ut ex verbo Dei rectè erudiatur & doceatur, quod ſcilicet Sacramenta non tantum ſint inſtituta à Deo, ſed quod ſint ipſius actiones, quas ipſe ſemper præſens per miniſterium tractat & adminiſtrat. In quibus ſuis externis & viſibilibus, & per quas ipſe offert, exhibet & applicat promiſsionem gratiæ cum omnibus beneficiis Chriſti ſalvatoris, & per illas actiones in nobis efficax eſt & operatur.

Externis igitur elementis, ut aquæ tanquam aquæ, pani tanquam pani, nihil tribuimus. Quando vero Deus in Baptiſmo aquam verbo ſuo apprehendit, tunc non amplius eſt pura tantum aqua, ſed divinâ virtute & potentiâ ita eſt præparata, quod jam eſt lavacrum regenerationis, Tit: 3. per quod Deus nos regenerat, Joh: 3. ſanctificat & mun-

dat, Ephes. 5. justificat & salvat, Tit: 3. Non quidem extra Christum: Baptismus enim non est actio sine Christo & extra Christum, in mortem enim & resurrectionem ipsius baptisamur, Rom: 6. 1. Pet: 3. imò in Baptismo Christum induimus, sine dubio cum omnibus beneficiis suis, Galat: 3. Unde Petrus non dubitat ad aquam in Baptismo referre actionem salvandi 1. Pet: 3. Aspicit enim aquam illam, non extra Christum, sicut Sectarii faciunt, sed quatenus verbo Dei apprehensa organon jam facta est, per quod Deus ipse nobiscum agit in Christo Jesu, sicut jam manifestis scripturæ testimoniis ostendimus. Ita Augustinus etiam hæc conjungit: dicit enim Christum ipsum baptisare, contra Donatistas lib. 6. cap: 28. in sangvine suo, de Cataclysmo cap: 3. per virtutem verbi, in Psalm. 105.

Ex quibus omnibus manifestum est, Sacramenta non nuda tantùm esse signa acceptæ gratiæ, nec tales solummodo esse actiones, in quibus Deus sine externis elementis verbo apprehensis gratiam & remissionem peccatorum communicet: sed quicquid in Sacramentis operatur, hoc facit per elementum verbo comprehensum, per quod, tanquam per externum Sacramentum, in virtute Christi, verè singulis offert & exhibet omnia beneficia sangvine Christi acquisita, quorum etiam verè efficimur participes, si Sacramentis illis juxta institutionem utamur, hoc est, si promissionem verâ fide apprehendamus.

Quæ vero præterea ad doctrinam Baptismi pertinent, Lutherus in tribus concionibus de Baptismo, & in aliis scriptis pulcherrimè complexus est, contra Catabaptistas.

Quæ item consolationes proponendæ sint parentibus de infantibus, qui in utero matris, ante susceptum baptismum, moriuntur, petent pastores ex Lutheri & Pomerani libellis hac de re editis.

In qua tamen quæstione valdè perniciosus error â Calvino resuscitatus est, quasi fidelium liberi etiam ante baptismum non sint in regno & potestate Satanæ, sed sint vera membra Christi, in regno Dei, & in fœdere gratiæ, atq; ideo huiusmodi infantibus per baptismum non conferri & applicari beneficia Christi, ut remißionem peccatorum, liberationem à morte, & salutem æternam: sed Baptismum in illis tantum esse publicam testificationem, quod unà cum naturali ex fidelibus parentibus nativitate, bona illa secum attulerint, & etiam ante Baptismum habuerint. Ac propter hanc caussam, & hoc sensu Cal-

vinus

vinus rejicit & damnat Exorcismum in Baptismo.

Hic error publicè ac serio taxandus & refutandus est: Malum enim Originis, quod tristius est, quam vel cogitari vel dici poßit, extenuat, & Baptismo suam virtutem & salutarem operationem adimit.

Huic vero corruptelæ manifestè & fortiter se opponit doctrina Christi, Joh: 3. Quod ex carne natum est, caro est. Ideo nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei. Sine dubio itaq; ante regenerationem illam, quæ fit ex aqua & spiritu, homo si non est in regno Dei, erit in regno Diaboli, cum inter hæc duo nullum sit medium, 2. Cor:6.

Accedit, quod scriptura sonora voce clamitat, de illorum etiam liberis, qui circumcisi erant, quod & illi ex se-

mine per peccatum vitiato nascantur, Psalm:51. Ac ne quis excipiat fidelium liberos, licet immundo semine in peccatis concipiantur, non tamen ideò sub damnatione esse, Paulus expressè dicit Eph:2. Et nos (qui scilicet ex circumcisione nati sumus) eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri.

Vetus autem ille error est, quem Augustinus in Pelagianis damnavit & refutavit lib:2. de peccatorum meritis. Et Tertullianus non tàm eleganter, quàm verè dixit: Non nascuntur, sed fiunt seu renascuntur Christiani.

Nec errori illi patrocinatur, quod Deus ad Abrahamum dicit Genes:15. Ero Deus tuus & seminis tui post te. Nihil enim hoc aliud est, quam quod Petrus inquit Actor:2. Vobis & liberis vestris hæc promissio facta est. Sed promissio, nisi applicetur, non salvat.

Ideo Petrus, in illo ipso loco, medium applicationis ostendit, cum inquit: Baptizetur unusquisq; in nomine Christi, in remissionem peccatorum.

Et quid multis opus est, Christus ipse ostendit, hanc esse conditionem omnium hominum, qui ex vitiatâ origine in hunc mundum veniunt, quod sicut fortis armatus atrium suum poßidet & custodit, ita nos omnes naturâ sumus sub potestate tenebrarum Luc: 11. Coloß: 1. laqueis Diaboli captivati ad ipsius voluntatem & operationem, priusquam regeneremur, convertamur, & fideles efficiamur, Eph: 2. & 2. Tim: 2. Et ex hisce scripturæ fundamentis Ecclesia ante annos plus mille Exorcismum in actione Baptismi in usu habuit, non eâ opinione, sicut à quibusdam, qui neceßitatem inde faciunt, falsò existimatur, quasi sine Exorcismo Baptisma

non eſſet verum aut perfectũ, aut quaſi Exorciſmus per ſe peculiarem & majorem aliquam vim haberet, quàm Baptiſmus ipſe. Sed Exorciſmum voluerunt veteres eſſe publicam & ſolennem teſtificationem in ipſa actione Baptiſmi, quid de peccato originali ſentirent, quod ſcilicet non ſit exiguus aliquis nævus in natura, ſed quod ſit horribilis depravatio, & malum, cuius magnitudo non ſatis explicari poteſt, per quod poteſtati tenebrarum & regno Satanæ ſubjecti ſumus, ſub quo in æternum nobis eſſet pereundum, niſi fortior ille ex armati iſtius manibus nos eriperet & liberaret. Qua de re vide pulcherrimam præfationem Lutheri in formulam Baptiſmi in Catechiſmo, & Cyprianum lib:4. Epiſt:7. Auguſtinum lib:2. de nuptiis & concupiſcentia, Nazianzenum de Baptiſmo.

DE COENA DOMINI.

HIc vero præcipuè videre licet ineffabilem charitatem & flammas illas ardentes in pectore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi erga miseram suam Ecclesiam, de qua in postremo ministerii sui actu magis quam de seipso sollicitus est: Ideò cum animadverteret tempus mortis, seu corporalis sui discessus â patre constitutum instare, constituit & disponit Testamentum suum, in quo thesauros spiritualium & cœlestium suorum bonorum charissimis suis amicis legat & disponit, ut memoriam sui perpetuo ita retineant, ne ulla eam oblivione deleri patiantur.

Cumq; præstantius pignus non haberet, quàm seipsum in carne & sangvine, quæ divinæ suæ naturæ perSona-

ſonaliter univit, in quibus jam debebat peccatum & mortem totius mundi unà cum ipſo Diabolo aggredi, proſternere, debellare, atq; inde nos liberare. Illud ipſum igitur precioſiſſimum pignus redemtionis noſtræ, una cum omnibus bonis, traditione illius corporis & effuſione illius ſangvinis acquiſitis, legavit diſcipulis ſuis, ac in illorum perſonâ univerſæ Eccleſiæ, ita ut nobiliſſimum illud pignus, non in crumenâ geſtaremus, nec in arcâ clauſum ſervaremus, ſed ut theſaurum illum etiam in hoc miſero & mortali noſtro corpore circumferremus, cui inde præberetur dulciſſima ſpes futuræ reſurrectionis, vitæ æternæ, & glorificationis, utq; ita arrhabonem haberemus, ſummum illum Theſaurum nullo unquam tempore â nobis, licet miſeris & indignis, divulſum iri, ideo mandat, ut corpus ſuum pro nobis traditum

etiam ore nostro sumamus, & sangvinem bibamus, atq; ita præstantissimam habeamus commemorationem mortis suæ per quam eum, qui mortis habebat imperium, regno & potestate sua exuit, & nos inde liberavit, sicut verba institutionis cœnæ Dominicæ clarè hoc sonant, Matth:26. Marc:14. Luc:22. 1. Cor:11

Quid verò Ecclesiæ in his terris optatius contingere posset, quàm si hunc thesaurum, sine turbatione, in pace, retinere, crebro ac multum, juxta Christi mandatum eo rectè uti posset. Quid enim à charitate Dei nos separaret, cum non tantum peccatorum, quæ inter nos & Deum separant Esa: 59. remissionem habeamus, sed sanctissimum ac preciosissimum etiam illud pignus, in quo omnia hæc acquisita & fundata sunt, nostrum sit, non sicut vestes nostræ sunt, quæ facilè à corpore detrahi possunt, sed ita se

nobiscum corpore & sangvine suo conjungit, ut ubi corpus nostrum & anima est, ibi sit etiam thesaurus iste. Et quia ille in æternum amplius non moritur Rom: 6. ita & nos in ipso perpetuò erimus ac manebimus, etiamsi vel fractus collabatur orbis, vel nos ex hoc mundo per mortem abripiamur.

Sed superbus & malignus ille mendacii Spiritus quia sentit, quantoper regno suo testamentaria hæc Salvatori nostri constitutio adversetur, ideo tan quam Leo rugiens furit & frendet, o mnes occasiones captans & urgens, u thesaurum illum vel vi, vel insidiis no bis eripiat, quam ad rem strenuam ip operam per multos annos Romanus A tichristus præstitit.

Primò enim in Missa ex Testamen Christi fecit hominis opus & sacrificiu in quo non vult, ut nos à Christo lega

lla bona accipiamus, sed fingit, sacrificulum Deo patri in cœlis corpus & sanguinem Christi offerre, ut opere illo oblationis impetret propitiationem & expiationem non vivis tantùm ac præsentibus, verum etiam absentibus ac demortuis, qui tamen Sacramentum nec edunt, nec bibunt.

Secundò, Quia non poterat Ecclesiæ totum hoc Sacramentum prorsus denegare, alteram tamen speciem, calicem scilicet majori parti Ecclesiæ, manifesto sacrilegio eripuit, ut tamen rapina illa quomodocunque tegeretur, nec existimaretur, Papam Ecclesiæ Sacramentum illud invidere, tandem inde spectaculum seu Pompam theatricam fecit, ut panis in ædicula inclusus ad abusus manifestè magicos circumgestaretur, ad restinguenda incendia, ad averruncandam calamitatem à frugibus

terræ, &c. quæ omnia pugnant cum in-
stitutione Christi, & cum ratione Sacra-
menti : neq; enim rationem Sacramen-
ti potest habere, ubi non servatur insti-
tutio, dispositio & Testamentū Christi

Hoc vero tempore Pontifex aliis &
novis prorsus insidiis denuò rem aggre
ditur. Concedit quidem usum utriusq
speciei, sed iniquissimis hisce conditioni
bus, ut scilicet communicaturi prius co
gantur fateri, illud rectè quidem fieri
sed non ideo, quia Christus ita instituer
& mandarit, sed quia Romanus Pon
tifex liberalitate, quæ curiæ illi propri
& peculiaris est, hoc indulserit. Ita m
seri illi homines coguntur Papam supr
Christum collocare, ut ipsius institut
per se non valeat amplius & ulteriu
quam quatenus per indulgentiam &
gratificationem Romani Pontificis con
probatur, ut ita impleatur, quod Paul

de Antichristo scribit: Extollet se supra omne, quod dicitur Deus, & adversus omnem religionem, 2. Thess: 2. Cogitent itaq; quàm gravi judicio Dei se onerent, qui sub Antichristicis istis conditionibus utramq; speciem accipiunt.

Postquàm vero Pontificiæ illæ abominationes ex verbo Dei clarè detectæ ac revelatæ, & Satan in suo Antichristo publicâ confusione explosus erat, mox per Cinglium novas turbas concitavit, quem ideo ex nostris partibus in sua castra traduxit, sicut solet facere, quando ipsum caput & jugulum causæ vult petere, Actor: 20. Ex vobis ipsis exorientur, &c. 1. Joh: 2. Ex nobis exierunt, &c. Is igitur utramq; speciem relinquit. Relinquit etiam panem & vinum, concedit manducationem & bibitionem, docet etiam de remißione peccatorum, sed corpus & sangvinem Christi ex Sacra-

mento illo tollit, cum tamen in vera cœna Dominica dispositum & mandatum sit à Christo, ut manducemus ac bibamus non nudum panem ac vinum, sed illud corpus, quod pro nobis traditum est, & illum sanguinem, qui pro nobis effusus est, sicut verba institutionis manifestè hoc testantur contra omnes inferorum portas.

Hic error, quia expreßè & adversa fronte pugnat contra verba Testament Christi, certißimum indicium est, quod huiusmodi phanatici non sint oves gregis Dominici, quia non audiunt vocem boni pastoris, sed eam pervertũt. Et qui nulla est communio luci cum tenebris: Cor: 6. ideo Ordines, qui Augustanam Confeßionem amplectuntur, sejunxerunt se ab istis, ac in publicis Comitiis in decimo articulo Confeßionis, doctrinam illorũ improbarunt ac damnarũ

Nec tamen illa ratione Diabolus prorsus defatigatus & exarmatus fuit, sed propositum illud pertinaciter retinuit, quod nolit eam partem in hoc Sacramento, quæ ipsum maximè urit, corpus scilicet & sanguinem Christi, in ea substantia, in qua corpus pro nobis traditum, sanguis pro nobis effusus est, in cœna Dominica ferre aut tollerare: sed contendit nos indignos peccatores contentos esse debere pane & vino. Quando vero corpus & sanguinem Christi ex illa sumtione exemerit, tunc facilè potest pati, ut quidvis, quantumvis magnificum & splendidum, de hoc sacramento credamus: Certò enim novit, talem fidem, quæ Christum sugillat, verba eius pervertit, & ultimam ipsius voluntatem, in forma Testamenti dispositam, ac morte confirmatam & obsignatam, depravat, non multum posse Diabolo nocere.

Ne tamen simpliciores dolum primo statim aspectu animadvertant, pingit & palliat eum callidus iste Spiritus speciosis & magnificis verbis per Calvinum & sectatores eius. Hi enim fortiter clamitant, se nequaquam hoc sentire & velle, quod in cœna Dominica nudus & merus tantum panis adsit & exhibeatur, sed simul adesse & exhiberi etiam verum & substantiale corpus Christi, quod in cruce pro nobis traditum est.

Pius aliquis non præmonitus audiens talia verba, non potest aliud cogitare, quàm ipsos rectè sentire, atq; ideo existimat, magnam injuriam bonis istis viris fieri, quod tanquam phanatici & hæretici proclamentur. Sed vide insidias, sentiunt & animadvertunt, verba institutionis Testamenti Christi, propriâ suâ evidentiâ & genuinâ perspicuitate adeo fortiter & potenter stare contra o-

pinionem de absentia corporis Christi, ut piæ aures ne fando quidem admissuræ judicentur, si dicatur, nos habere cœnam Dominicam sine corpore & sanguine Christi, nudo tantum pane & vino instructam. Vident enim textum non manere plenum & integrum, sed manifestè mutilari, si corpus & sanguis Christi ex cœna Dominica tollatur, etiamsi panis & vinum, manducatio & bibitio, remissio peccatorum, & commemoratio mortis Christi ibi relinquantur. Ideo incipiunt jam iisdem verbis nobiscum loqui di ipso etiam corpore Christi, sicut dictum est. Sed quando existimas, sententiam ipsorum cum nostra doctrina, & cum verbis Christi simpliciter convenire, obtrudunt tibi hanc glossam, verum & essentiale Corpus Christi adesse quidem in cœna, non autem naturâ seu substantia sua, sed sola virtute &

efficaciam. Quod autem ad ipsam substantiam corporis Christi, & ad essentialem eius præsentiam attinet, eam à cœna Dominica & à tota eius actione, quæ in Ecclesia in his terris juxta institutionem Christi administratur, longius abesse, quam cœlum à terra distet. Volunt enim cœlum ita cepisse, comprehendisse, & occupasse corpus Christi, ut illud non possit aliter, quam in uno tantum loco in cœlo esse, adeo ut Petrus Martyr non vereatur scribere, Deum universâ suâ omnipotentiâ non posse efficere, ut substantia corporis Christi, salva eius veritate, simul possit adesse in cœlo, & in terris, ubi actio cœnæ Dominicæ celebratur.

Quia igitur Calvinistæ expressè suis propriis verbis substantiam corporis Christi, à pane, qui frangitur, & ab actione cœnæ Dominicæ, quæ in hac ter-

ra, juxta Christi institutionem, celebratur, longius removent, quàm cœlum â terrâ distat, quid quæso aliud in actione illa cœnæ Dominicæ relinquunt, quàm externa signa panis & vini? Pingant itaq; pallient & exornent suam illam opinionem quacunq; possunt specie & quibuscunq; coloribus, dum magnificis verborum ampullis declamitant de spirituali manducatione corporis & sanguinis Christi, & quomodo corda sursum elevanda sint, ad considerationem huius mysterii, hæc enim non sunt in controversiâ posita. Tu vero urge statum controversiæ, & disertè tibi petе explicari, quid sentiant de substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in actione cœnæ Dominicæ, quæ in his terris juxta institutionem Christi celebratur. Quod si voluerint miscere disputationem de ubiquitate, tu se-

quere

quere consilium Lutheri, qui gravissimis de causis fideliter consuluit, controversiam hanc coërcendam esse intra terminos seu cancellos, de præsentia corporis Christi in cœna, de ea enim habemus expressum verbum Dei, nec admittendum, ut extra hosce terminos seu cancellos, disputatio abripiatur ad quæstiones de ubiquitate: Fundamentum enim præsentiæ corporis Christi in cœna, non esse collocandum in disputatione de ubiquitate, Tomo Jenensi 3. pag: 495. & Tomo 8. pag: 375.

Posito autem vero statu controversiæ, de præsentia scilicet corporis Christi in cœna, non ita eludenda est quæstio, quasi citra discrimen salutis indifferens sit, Quid quisq; de hac quæstione sentire velit. Quia enim agitur de sacrosancto & inviolabili Testamento filii Dei, in quo ultimam suam voluntatem, in ea nocte

nocte, qua traditus est, Ecclesiæ & dilectissimæ Sponsæ suæ potenti suo verbo disposuit, certè nec possumus nec debemus Testamentum summæ huius personæ leviter, tãquam adiaphorum, extra causam fidei & salutis ponere, multo minus vero petulantia ingenii in testamento illo ludere pervertendo, vel minimum eius apicem, omnium vero minimè, illud quod fundamentum est eorum bonorum quæ in testamento illo legata sunt, inde tollere. Paulus enim dicit, Gal: 3. illud ne in hominis quidẽ Testamento, si comprobatum sit, citra notam infamiæ & sine crimine sacrilegii fieri. Et Cyprianus rectè dicit: Si ille excluditur regno Dei, qui minimum legis mandatum solvendum docuerit, quid illi futurum est, qui in maximis testamẽti filii Dei mandatis aliquid depravarit? Et si ille horrendum Dei judicium incurrit, qui cor-

pus

pus Domini, de quo verba cœnæ (hoc est corpus meum) loquuntur, non dijudicat, 1. Cor: 11. quid ei futurum est, qui non curat sive adsit, sive absit, imo qui præsentiam eius non veretur impudenter negare, contra manifesta verba Testamenti Christi. Omnes igitur verè pios, in serio timore Domini & humili reverentiâ sollicitos esse convenit, ut simplex, proprius & genuinus sensus verborum Testamenti Christi retineatur, & in illis ne minimus quidem apex à simplici & genuina sua proprietate pervertatur.

Tota autem hæc controversia per se plana est, si modo præ ingenii nostri à serpente inspirata superbia tantillum humilitatis erga Deum & Salvatorem nostrum præstare possemus, ut miseram ac cæcam nostram rationem sub obedientia verbi & sapientiæ divinæ captivam duceremus. Unde enim controver-

sia

siæ de hoc articulo motæ illustrandæ & dijudicandæ sint, Paulus ex professo monstrat, cum Corinthiis suis in simili certamine verba institutionis Christi proponit, tanquam firmum fundamentum, & certam regulam, unde, quæ sit recta in hoc articulo fides, constitui, & quicquid contra eam certaminum movetur, piè & rectè dijudicari possit, ac debeat, cum quidem in hunc usum verba institutionis & accepisset & tradidisset, eo tempore, cum jam filius Dei, depositâ formâ servi, in gloriam suam ingressus esset.

Status itaq; Controversiæ Sacramentariæ rectè constituatur, & ad illum adhibeantur verba Institutionis, ac statim manifestum evadet, quæ sententia vera, quæ falsa sit, si modò Deum in verbo suo judicem in hac controversiâ ferre decreverimus.

Extra omnem autem controversiam ex verbis institutionis manifestum & certum est, in cœna Dominica, non soli fidei spiritualiter tantum aliquid proponi & exhiberi, ut scilicet Christum cum omnibus beneficiis suis apprehendat, inde remissionem peccatorum accipiat, & mortem eius celebret, sed ordinatio & mandatum Christi est, ut etiam os corporis in cœna illa aliquid accipiat. Quod enim inquit: Accipite, manducate, bibite, non potest de sola spirituali manducatione intelligi, eâ enim solâ non satisfit institutioni Christi, si os corporis in cœna illa nihil accipiat. Iam quæstio est, Quid illud sit, quod juxta dispositionem & mandatum Testamenti Christi non anima tantum sola fide spiritualiter accipiat, sed quod ipsum etiam os corporis manducando & bibendo in cœna Dominica accipere debeat.

Adver-

Adversarii Calvinistæ dicunt, id quod os corporis in cœna Dominica accipit, non esse corpus & sangvinem Christi, sed panem & vinum, â quo corpus Christi tam longè latèq; absit, quàm supremum cœlum â terra distat. Sentiunt itaq; os corporis in cœna Dominica panem tantùm, & nudum vinum, accipere, quibus tamen volunt conjunctam esse virtutem seu efficaciam absentis corporis Christi. Nos vero sentimus & dicimus, illud, quod etiam os corporis in cœna Dominica post benedictionem accepit, esse verum & substantiale corpus Christi in ea essentia, qua pro nobis in cruce traditum est, ita illum etiam sangvinem esse, qui pro nobis effusus est, in remißionem peccatorum.

Quæro jam, utra harum sententiarum verbis Christi consentanea sit? Manifestum autem est, quod verba cœ-

na non reddant sententiam Calvinistarum: Christus enim non dicit, Accipite, comedite panem, qui est virtus seu efficacia absentis mei corporis, sed de eo, quod Christus manibus exhibet, quod os Apostolorum manducando accipit, de eo, inquam, filius Dei verbis Testamenti sui, simpliciter, disertè & planè dicit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et similiter etiam de calice.

Inde ergo sine dubio consequitur, eos, qui ori corporis in cœna Dominica nihil amplius, quam panem tantum & vinum, manducandum & bibendum relinquunt, non consentanea docere verbis Christi, sed summum & nobilissimum thesaurum ex cœna Dominica tollere, corpus scilicet & sangvinem Christi.

Sed objiciunt Adversarii, verba in scriptura sæpius figuratè, & non semper

secun

secundum literam, sicut sonant, accipienda esse. Nos vero opponimus responsionem, quæ certis & firmis nititur fundamentis, Scripturam scilicet non esse privatæ interpretationis, 2. Pet:1. sed sicut Hieronymus annotavit, hunc morem scriptura observat, ut obscuris manifesta subnectat, & quod uno in loco sub ænigmate seu figuratè dixerat, id aliis in locis apertis verbis ipsa interpretetur & explicet. Ac sine dubio hanc ipsam ob causam institutio cœnæ Dominicæ non in uno tantum loco descripta, sed in pluribus repetita extat, quæ repetitiones non uno & eodem tempore conscriptæ sunt, ut ita scriptura pluribus locis monstraret & confirmaret planum & consentiētem sensum verborum Christi. Si enim verba illa, uno aliquo in loco, aliquid haberent obscuri, peregrini, &

figurati, illud sine dubio ipsa alio in loco per eos, qui postea scripserunt, declarasset: præcipuè vero hoc Christus ipse non intermisisset, cum post ascensionem verba institutionis ad Paulum repeteret: vel saltem Paulus hoc non dissimulasset, cum, motis jam controversiis, Corinthiis verba institutionis, tanquam normam dijudicationis proponeret.

Ipse igitur Christus tali repetitione ad Paulum manifestè ostendere & confirmare, ac serio, quasi de facto, contestatum facere voluit, hanc esse suam voluntatem, ut verba illa simpliciter, sicut in genuina & propria significatione sonant, & sicut à Christo ipso sunt declarata, accipiantur, nec per tropos ad aliam & peregrinam sententiam detorqueantur, cum quidem non sit moris, figuratis verbis in testamentis ludere.

Ne enim de vocabulo corporis necesse

esset disputare, An pro ipsa substantia corporis, An vero tantum pro efficacia & virtute à corpore abstracta, esset accipiendum, ipse addit declarationem, quod in hoc loco Vocabulum corporis non sit aliter intelligendum, quam sicut intelligitur in cruce, de ipsa scilicet substantia corporis, quæ in cruce pro nobis pœnas & supplicia sustinuit. Non enim virtus seu efficacia corporis pro nobis tradita est, sed illud naturale seu substantiale corpus, quod filius Dei ex Maria matre assumpsit, & divina naturæ in sua persona hypostaticè univit.

Hoc igitur corpus juxta verba institutionis in cœna Dominica præsens adest, non per transsubstantiationem, ita ut panis substantia annihilata transelementetur, aut transsubstantietur in corpus Christi: Paulus enim expreßè dicit,

esse panem etiam post benedictionem 1. Cor: 10. & 11.

Nec vero localiter adest ibi corpus Christi, vel ullo alio modo, rationi subjecto, aut in hoc seculo usitato, & tamen verè adest, cum ille hoc dixerit, qui modos & rationes, quibus ut ubicunq; vult, substantia sua præsens esse possit, alios & plures novit, quam vel angelus de cœlo intelligere, vel ullus homo comprehendere potest. Atq; ideo ipsi hoc dicenti credimus, juxta verbum, quod mentiri aut fallere non potest.

Ita etiam ore nostro verè manducamus corpus Christi, non sicut Capernaitæ imaginabantur, quasi substantia corporis Christi dentibus lanietur, & ore masticetur, sed quod etiam os nostrum sumat & accipiat corpus Christi, modo quidem supernaturali, verè tamē, quia verba Institutionis clarè hoc sonant.

Et quia nec fides, nec infidelitas, nec dignitas, nec indignitas sumentium, Sacramento aliquid vel addit vel detrahit, (habent enim Sacramenta suam substantiam, virtutem & efficaciam ex verbis Institutionis Christi) Christus verò sine discrimine, ex æquo ad omnes dicit, Accipite, manducate, hoc est corpus meum: ideo cum Paulo firmiter hoc retinemus, quod digni & indigni, credentes & non credentes, in cœna ore, seu Sacramentaliter accipiant corpus Christi, licet soli credentes virtutem illius ad salutem fide apprehendant & in se operari patiantur; Increduli verò infidelitate sua illam repudient, atq; ita judicium suum gravius efficiant, sicut in Schmalcaldicis articulis illa ex verbo Dei traduntur.

Hæc fundamenta de substantiali præsentia corporis Christi in cœna adeo ex

verbis institutionis plana, manifesta, & evidentia sunt, ut ipsi etiam hostes huius Sacramenti fateri cogantur, Verba Institutionis, si accipiantur & relinquantur in simplici, genuina, propria, & manifesta significatione, reddere non aliam, sed illam ipsam hanc nostram sententiam, quam hactenus exposuimus.

Quàm dulcem vero & quàm firmam consolationem consciẽtiis nostris hoc præbeat, quantumq; nobis in confeßione huius doctrinæ animi addat, quod non ipsi nos, ex privatis nostris speculationibus, sententiam illam vel finximus, vel præsumpsimus, vel excogitavimus, sed quod ipse filius Dei, per verba testamenti sui, in eam sententiam nos deduxit, nemo rectiùs expendere potest, nisi qui seriò statuerit, nos in hisce mysteriis à solo Deo, quid sentiendum & credendum sit, discere debere, & nullam creaturam,

ne inferorum quidem portas, præter & supra illum magisterium aliquod sibi usurpare debere.

Sed Sacramentarii, ut istam audacem suam petulantiam plausibili aliqua specie tegant & exornent, prætendunt, se gravissimis causis moveri, quod non possint tam simpliciter & pueriliter ipsam literam (quod dicitur) verborum Testamenti Christi retinere, aliàs enim periculum esse, ne humana natura in Christo essentiâ suâ prorsus exuatur, si ultra communes & physicas proprietates, quales in cæteris hominibus sunt, humanitati Christi tribuantur, quod possit talia, quæ non tantum aliorum hominum, sed omnium etiam creaturarum facultates & conditiones longissimè excedant. Ut igitur veritas humanæ naturæ in Christo salvetur, & retineatur, hoc stratagemate, boni illi viri se Christo

ſubvenire ſimulant, ut ſcilicet in Teſtamentum ipſius irruant, & eius verba torqueant, diſcerpant, & pervertant, quaſi ſine tali ipſorum artificio non poſſet ſimul ſubſtantiam humanitatis ſuæ & veritatem teſtamenti ſui ſalvam conſervare. Sed quale ſit hoc Sacramentariorum argumentum, & quam honorificum Chriſto, ſuprà in tertio articulo, de unione duarum naturarum in Chriſto, & de communicatione Idiomatum, ex verbo Dei & ex teſtimoniis antiquitatis, ſolidis fundamentis demonſtratū eſt.

Ejuſdem vero farinæ eſt & alterum ipſorum non poſtremum argumentum, Articulum ſcilicet fidei, de aſcenſione Chriſti in cœlum, labefactari & concidere, niſi verba Teſtamenti Chriſti à propria & genuina ſignificatione contorqueantur & pervertantur. Quia enim juxta ſcripturam, videntibus Apoſtolis

stolis ab oculis ipsorum subductus est, nec eo modo ante extremum diem rediturus est, ideo dicunt, ipsum non posse invisibiliter aut alio modo corpore suo substantialiter adesse in cœna, etiamsi verba testamenti ita sonent.

Nos vero dicimus, ascensionem ipsius in cœlos non tantum non impedire invisibilem præsentiam corporis ipsius in cœna, sed eam magis confirmare & stabilire, cum habeat testimonium & fundamentum in verbis Testamenti Christi. Ascensio enim Christi in cœlos non est tantum localis quædam mutatio loci, sicut Sacramentarii pueriliter ineptiunt, ut cum miseræ aviculæ relictâ terræ superficie super celsa arbore sidunt: sed ita scriptura de hoc articulo loquitur, & nos juxta scripturã de eo ita credimus, quod Christus humanas & terrenas infirmitates, quas propter nos assumpserat,

per ascensionem deposuerit, ipsam autem substantiam humanæ naturæ retinuerit, ita quod secundum illam ingressus sit in gloriam suam, collocatus ad dexteram majestatis & virtutis Dei, Marc: 16. Luc. 22. Hebr. 1. subjectis omnibus sub pedibus eius, ipsis etiam Angelis, potestatibus & principatibus, 1. Pet: 3. multo magis igitur loca, tempora, & spatia ipsi etiam secundum humanam naturam subjecta erunt, cùm exaltatus sit supra omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro, Eph: 1. Non enim cœlum cœpit ipsum, sed ipse cœlum accepit Actor: 3. ita ut supra omnes cœlos ascenderit Eph: 4. Hoc modo scriptura interpretatur Ascensionem Christi, atq; ita nos etiam de ea sentimus & docemus, ac ex hoc ipso fundamento credimus, nihil esse sive in cœlo, sive in terra, quod ipsum possit impedire, aut ob-

staculo

ſtaculo eſſe, quo minus poßit, cum in Teſtamento ſuo hoc dixerit, vero ac ſubſtantiali ſuo corpore in cœnâ adeſſe, & illud veſcentibus exhibere. Quod cum Sacramentarii negent, ipſi viderint, an articulum illum de Aſcenſione Chriſti juxta Scripturæ interpretationem, coram Deo, vel integrum retineant, vel diſcerpant, cum mox ſequatur: Sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

Nobis ſufficit, & eſt gaudium ac gloriatio noſtra coram Deo, adverſus omnes ſectas, quod hæc doctrina & fides noſtra, quam expoſuimus, certa, manifeſta, & firma teſtimonia in ſcriptura habeat, quodq; cum omnibus articulis fidei Catholicæ pulcherrimè conſentiat, non quidem juxta ſectariorum opiniones, cum illi non ſint noſtri judices, ſed juxta interpretationem verbi Dei, quod totum orbē terrarum judicabit, Joh: 12.

Deo

Deo igitur spiritu suo mentes nostras illustrante & gubernante in ea doctrina permanebimus, sicut ex scriptis Propheticis & Apostolicis in corpore doctrinæ suprà constituto, hoc est, in tribus symbolis veteribus, in Augustana Confeßione, & Apologia, in Schmalcaldicis articulis, & scriptis Lutheri comprehensa est. Et econtra cum Paulo dicimus: Si vel Apostolus, vel Angelus è cœlo aliud prædicaverit, Anathema sit, Amen.

DE OFFICIO PASTORVM.

COnstituto jam corpore doctrinæ, ut eius puritas per Dei gratiam conservetur, potißimæ partes erunt Theologorum & Pastorum, (illis enim Deus Thesaurum verbi sui, tanquam sacrosanctum depositum concredidit & commendavit) ut sint custodes purioris doctrinæ

ctrinæ, sicut Paulus inquit 1. Tim:1. & 6. Item 2. Tim:1. ita ut Ecclesia, quovis tempore, depositum illud apud eos requirere possit, sicut Deus ordinavit, Malach:2. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore eius requirent: Legatus enim est Domini exercituum. Ad hoc vero requiritur ea fidelitas dispensatoris, de qua Paulus loquitur 1. Cor:4. ut in toto hoc mūdo nihil ipsi magis cordi sit, quam Ecclesia, quæ summum ipsi sit gaudium, & corona omnis gloriationis 1. Thess:2. unde dies noctesq; sit sollicitus, ut ministerium, quod accepit, ad Ecclesiæ ædificationem, rectè administret & impleat, sicut Paulus summa fide admonet, Coloss:4. & 2. Tim:2. & 4.

Ministerium autem non plenè impletur, si tantum veræ sententiæ proponantur, sed hac potissimum nota discernuntur bonus pastor & mercenarius, quod

bonus

bonus pastor, non habitâ ratione periculorum, lupo venienti fortiter se opponit, Joh:10. Atq; ideo Paulus utrumq; in ministro requirit, ut scilicet verbum veritatis rectè tractet, falsa refutet, & contradicentibus os obturet 2. Tim: 2. Tit:1. Boni igitur & pii Pastores semper ob oculos sibi ponant futurum Judicium, in quo oportebit ipsos coram tribunali Christi manifestari 2. Cor: 5. & graviorem reddere rationem, quam reliquos Christianos, Ezech: 3. Videant igitur, ut sinceram doctrinam ea fide proponant, ut Ecclesia inde ædificetur, 2. Cor: 3. & 10. & formam veræ doctrinæ ac sanorum verborum retineant, sicut ea in verbo Dei fundata, & in corpore doctrinæ, cuius supra mentio est facta, comprehensa est, ut pusillus ille grex, quem Deus sangvine suo acquisivit Acto: 20.

sine

sine dissidiis & offendiculis Rom:16. ad salutem suam erudiatur.

Diligenter verò etiam caveant, ne novas ipsi opiniones excogitent, aut quæstionibus ociosis & subtilitate quadam blandientibus, contentiones non necessarias moveant, 1. Tim: 4. & 6. & 2. Tim:2. Sed cogitent, revera summam in ministerio Ecclesiastico artem esse, Catechesin simpliciter & rectè ad ædificationem Ecclesiæ tradere, cum in ea tam immensus comprehendatur thesaurus, ad quem perdiscendum & perscrutandum tota hæc vita nostra non sufficit; ac sciant, iis, qui præter hanc doctrinam, dissensiones & offendicula excitant, Roman:16. grave & intolerabile judicium paratum esse, sicut Christus inquit, Matth:18. Væ illi, per quem veniunt offendicula.

Verè pulchra & pia est humilitas,

inquit Nazianzenus, agnoscere & fateri, nostram imbecillitatem in multis non posse ipsa momenta rerum plenè & perfectè intelligere & assequi, atq; ideo, sicut Irenæus inquit, quædam ipsi Deo sunt reservanda: neq; enim infirmitas nostri intellectus omnibus sufficit.

Si quis vero inveniretur cerebri tam heterocliti, qui extra corpus doctrinæ suprà constitutum novis & peregrinis opinionibus adeò delectaretur, ut eas non posset intra se concoquere, sed publicè eas spargere vellet, ibi pastores, & præcipuè Professores Academiæ non debent tàm diu tacere vel dißimulare, donec ea scintilla flammas conceperit, & multorum iam animos involverit, sed quisq; pro ratione vocationis in tempore consulat, & principiis obstet, ut re cum aliis deliberatâ autor placidè admoneatur. Quod si talis privata admonitio nihil effecerit

causa ad ordinarios Episcopos referatur, ut ibi de errore ex verbo DEI convicti emendentur, atq; ita omnia ordine gerantur, sicut Esaias inquit cap: 54. Omnem linguam resistentem tibi in judicio condemnabis.

Si vero huiusmodi admonitionibus autor erroris non emendaretur, & si errorem suum publicè sparsisset, tunc Pastores venenum illud, quod jam publicũ factum est, publicè etiam debent arguere, sicut illud omnibus fidelibus doctoribus seu pastoribus sine discrimine à Deo mandatum est. Sed in hac parte ministerii pastoribus diligenter providendum est, ut illud, quod arguere volunt, prius certum & exploratum habeant, ne in alicuius vel favorem, vel odium, illâ parte ministerii, intẽpestivis & non necessariis clamoribus abutãtur, sed cogitent, quid ad ædificationem Ecclesiæ faciat: eâ enim conditione ministerium

nobis commendatum est, 1. Cor: 14. Ac sciant, illis, qui hac parte ministerii, non Deo, nec Ecclesiæ, sed suis affectibus serviunt, atq; ita Ecclesiam non ædificant, sed turbant & destruunt, gravissimam reddendam esse rationem, juxta dictum Pauli Gal: 5. Qui conturbat vos, portabit judiciū, quicumq; est ille.

Quia vero propter peccata populi mittitur Propheta stultus, qui sit laqueus ruinæ Oseæ 9. & eò, quod dilectio- v. 7, 8.
nem veritatis non recipiunt, propterea mittit illis Deus efficaciam erroris, 2. The: 2. ideo pastores populum de hoc judicio Dei, quo contemptum verbi sui ulciscitur, sæpius ac seriò, adductis exemplis Papatus & aliis commonefacere debent, ac ad veram pœnitentiam non tantum populum diligenter exhortari, sed ad excitandam illam ipsi bonis exemplis gregi præire & prælucere debent,

1. Tim.

1. Tim: 4. 1. Pet: 5. Ad hæc toto pectore adjungant serias preces, dies ac noctes, quia jam versamur in postremis ac periculosissimis senescentis, atq; adeo deficientis mundi temporibus, ut quocunq; res cadat, Deus ex immensa misericordia illam à nobis iram avertat, ne verbum suum à nobis auferat.

Æternus Dei filius, Mediator & Pontifex noster, cuius peculium est Ecclesia, in cuius manibus est vita & mors, penes quem solum est prosperitas & incrementum in omnibus negociis, pertinentibus sive ad hanc, sive ad futuram vitam, ipse pusillum suum gregē unà cum Ecclesiis inclyti hujus Ducatus in verâ sui agnitione clementer conservet, sit Princeps pastorum, Archiepiscopus, & summus noster Pontifex, in conspectu æterni patris, ut in unitate Spiritus in ipso habeamus pacem, ex hoc nunc & usq; in seculum, Amen Amen.

QVAESTIONES A PAUcis quibusdam Pastoribus in Synodo Theologis propositæ, unà cum Theologorum Responsis.

CVm Illustrißimus Dux Prußiæ, etc. Dominus noster clementißimus Anno Domini 1567. Synodum præcipuorum Pastorum ad Dominicam Trinitatis, in Vrbe Regiomontana, convocari mandasset, vocati Pastores ad dictum diem frequentes adfuerunt, ibi in Synodo, commemoratis causis convocationis, & præmissâ piâ commonitione, Scriptum hoc, in quo certum Corpus doctrinæ nominatim constituitur, & corruptelæ, cum sana doctrina pugnantes, ex fundamentis sacræ Scripturæ taxantur & refutantur, Pastoribus perlegendum & dijudicandum propositum fuit. Pastores verò, scripto diligenter perlecto, & re tota per aliquot dies, quantum satis est, maturè deliberata, unanimi consensu responderunt, se scriptum illud, cum planum sit & in verbo Dei fundatum, consentientibus suffragiis adprobare, paucos tantum quosdam pleniorem declarationem de quibusdam articulis petere.

Et Primò, Cum in ſcripto mentio fiat Synergiſtarum, ut diſertè nominentur, qui illi ſint, ne Academia Witebergenſis vel forſan alii innocentes ſuſpicione illa graventur.

Secundò, Cum in locis communibus Philippi, in ſcriptis Chytræi, & aliorum, hæc propoſitio inveniatur, opera eſſe neceſſaria ad retinendam fidem, An phraſis illa retinenda ſit?

Tertiò, An in articulo de Sacramentis in genere rectè allegatus ſit locus 1. Pet:3. Quod aqua in Baptiſmo nos ſalvos faciat?

Quartò, ubi Calvinus de fidelium liberis ita loquatur, ſicut in loco illo allegatur? Et, Quomodo eo, quod damnet Exorciſmum, peccatum Originale extenuet.

Quintò, Paſtores in Synodo non damnaſe Exorciſmum, ſed hanc tantùm eſſe quæſtionem, quomodo in hoc negocio ſine ſcandalo procedi poſſit, cum á quibuſdam Exorciſmus in actione Baptiſmi aliquandiu ſit intermiſſus, quibus grave futurum ſit, eum ita de repente reſtituere.

AD HASCE QVORVNdam Pastorum quæstiones hæc ipsis in frequenti Synodo data est Responsio.

Ad primam Quæstionem. Cum de Synergismo quidam sint accusati, qui crimen illud non omninò agnoscant, & tamen dogma illud per se, à quocunque proponatur aut defendatur, falsum sit, & sine respectu ullius personę sit taxandum & damnandum, ideo corruptela ipsa sine mentione ullius personæ posita, & ex verbo Dei refutata est.

Ad secundam Quæstionem. Non est dubium, si illa propositio (opera sunt necessaria ad retinendam fidem) esset vera, esset etiam n bona consequentia altera propositio vera, quod opera ad salutem sint necessaria. Cum autem hæc ex veris fundamentis sit refutata, nec illa poterit ut vera consistere: cum ne naturali quidem modo loquendi verum sit, quod fructus necessarii sint ad arborem bonam: ac certissimum sit, autorem & consumatorem fidei, non esse alium, quam solum nostrum summum Pontificem Ebr: 12. Hunc autem modum loquendi, in viris illis, quorum in quæstione mentio facta est, non odiosè exagitamus, cum in huiusmodi communibus scriptis longe alia sit ratio, quam

quando

quando motis controversiis Corpus doctrinę contra erroneas opiniones constituendum est.

Ad tertiam Quæstionem. Articulus Relativus in Græco manifestè & clarè ita positus est, sicut & Lutherus de consilio multorum eruditorum articulum illum ita reddidit, ut ad aquam referatur. Et in scripto locus ille eodem prorsus modo declaratus est, sicut in Catechismo declaratur, de aqua scilicet, quæ verbo Dei comprehensa, & mandato eius conjuncta est.

Ad quartam Quæstionem, fieri potest, quod Pastores non omnia scripta Calvini legerint, in quibus, præcipuè vero in Commentariis in Genesin, in institutione hominis Christiani, in 7. cap: prioris ad Corinthios & in multis aliis locis, errorem illum expressis verbis tradit & defendit.

Ac propter hanc caussam coacti fuimus, monstrare veram explicationem loci Gen: 17. Cumq; Calvinus Exorcismum ideo rejiciat, quod existimet, fidelium liberos ante Baptismũ non esse in regno & laqueis Diaboli, certè eo ipso Peccatum Originale & miseriam, cui infantes ante Baptismum subjecti sunt, contra Scripturam manifestè extenuat.

Ad quintam & postremam Quæstionem, libenter audivimus, quod Pastores Exorcismum in actione Baptismi non damnent, cùm meritò etiam damnari non possit: eandem enim prorsus sententiam reddit, quam Christus tradit Luc: 11. Et optandum esset, hujusmodi contentionibus non necessariis non fuisse motas plures novas & majores turbas & distractiones in hisce Ecclesiis, quæ antea plus satis turbatæ, contristatæ & dilaceratæ erant, præsertim cum illi, qui Exorcismum ex actione Baptismi removendum svaserunt & mandarunt, sine publicâ & legitimâ deliberatione illud fecerint, quâ in re scandalum, quod illo tempore inde secutum est, considerandum, & miseræ Ecclesiæ parcendum fuisset.

Sed quia iam factum hoc est, & sine scandalo tàm subitò mutari non potest, optimum consilium est, ut moderatio hac in re adhibeatur, ne altera pars alteram damnet. Sed qui Exorcismum omiserunt, se inter docendum ita declarent, quod mandato de omittendo Exorcismo paruerint, non ideò, quasi usum ejus damnarent: sed ut hoc modo aliæ & plures altercationes vitarentur. Qui verò usum eius retinuerunt, ita se declarent, quod Exorcismus sit quidem illustris & solennis confessio, quid Ec-

clesia de Peccato Originali sentiat, non tamen sit necessaria & substantialis pars baptismi, sine qua baptismus verus & perfectus esse non posset. Et Episcopi in futura visitatione sine dubio diligenter considerabunt omnes circumstantias, ubi & quomodo usus Exorcismi sit restituendus, vel ubi restitutio illa sit suspendenda, donec Ecclesię huius ditionis rursus in eum statum pacificè restituantur, in quo floruerunt, priusquam Osiander perniciosas istas distractiones in eas invexit.

In hac vero declaratione addita fuit illa etiam commonefactio, quia in vicinis locis Poloniæ & Lithvaniæ, *Calvini* atq; adeo Anabaptistarum etiam dogmata grassantur, ut Pastores, qui locis illis vicini sunt, consideratè & circumspectè agant, cum adversarii omissionem Exorcismi ita accipiant, quasi sit testimonium Confessionis & confirmationis falsi ipsorum dogmatis de baptismo infantium, ne quis hac in parte blasphemię ipsorum participem se faciat, atq; ita nostris etiam Ecclesiis noceat.

Huic declarationi, quia ex verbo Dei sumptà est, non tantum Pastores, qui quæstiones illas proposuerant, acquieverunt, sed universa Synodus eam approbavit. Atque ita Anno Domini 1567. die Maji 28. per Dei gratiam Unanimis p.282.

nimis consensus, de forma doctrinæ, sicut ea in hoc scripto affirmative & negative comprehensa est, fideliter retinenda, inter omnes & singulos in frequenti Synodo constitutus est.

In cuius consensus publicam confirmationem & solennem obligationem singuli, qui Synodo interfuerunt, propriâ manu ultrò subscripserunt, ut sequitur.

Georgius Venediger Episcopus Pomezaniensis subscripsit.

Ioachimus Môrlin D.

M. Martinus Kemnicius.

David Voit D.

M. Petrus Sickius.

M. Christophorus Langner.

M. Aegidius Læbelius Pastor Eccles: Tilsensis.

M. Iohannes Bochmannus Diaconus Ecclesiæ vet: oppidi Regiom.

Michaël Iunckhenlein Diaconus Ecclesiæ Kneiphovianæ.

Laurentius Fabricius Diaconus Lôbnicensis.

Vrbanus Mayer Diaconus Eccles: Lôbnicensis.

Iohannes VVoysser Ecclesiastes in Xenodochio.

Iohannes Secluciarus verbi Dei Minister in Monte Regio Polonicus.

Bartho-

Bartholomæus VVillenthus Pastor in Lithostrato
Fabianus Grocheterus Pastor Landtspurgensis.
Matthias Bynwaldus Ecclesiæ Hohensteinens: Presbyter & Archidiaconus.
M. Iohannes Lidicius, Archidiaconus Ecclesiæ Rastenburgensis.
Georgius Iunckhenelius Pastor Bartensteinens:
Henricus Schonebut Pastor in Deutscheilaw.
Theobaldus Axt Pastor VVelaviensis.
Christophorus Langeus Pastor Heiligenpeilens.
Martinus Starck Pastor Soldaviensis.
Iohannes Radomski Pastor Neidenburgensis.
Valentinus Schultes Pastor Ecclesiæ Gutinensis
Ioachimus Gerstenkorn Pastor Morungensis.
Lucas Leuker Pastor Lübemülensis.
Martinus Kunigk Pastor &c.
Heylmannus Heyll Pastor Ecclesiæ quæ est in Insula Mariana.
Simon Stolius Pastor Ecclesiæ Balgiensis.
Iohannes Schwartz Pastor Brandeburgensis.
Zacharias Krautmüller Ecclesiæ Memelensis Pastor.
Adamus Hubnerus Ecclesiæ Memelens: Diac:
Sebastianus Ilger Pastor in Bischoffswerder.
Christophorus Schiffnerus Ecclesiæ Gilgenburgensis Minister.
Georgius Pauli Pastor Nordenburgensis.

Bene-

Benedictus Liebkein Pastor Osterrodensis.
Martinus Stoltzer Pastor Passenheimensis.
Fabianus Rettel Pastor in Domnaw.
Iohannes Ganswindius Pastor Ecclesiæ Vischhausensis.
Iohannes Maletius Minister Ecclesiæ Lyccensis
Georgius Cællinus Pastor Bartensis.
Iohannes Sperber Pastor Allenburgensis.
Christophorus Sperber Pastor Gerdaviensis.
Daniel Sperber Pastor Salauensis.
Iohannes Gosmewski Angerburgensis Pastor.
Vdalricus Bingelstedt Pastor Insterburgensis.
Iohannes Bretkius Pastor Labiensis.
Augustinus Iamundus Pastor Ragnetensis, Archidiaconus.
Georgius Scheplerus Diaconus Tilsensis.
Laurentius Proštka Pastor Marggraboviensis.
Melchior Drechsler Parochus Sensburgensis.
Iohannes Holtz Pastor Ecclesiæ Mülhausien.
Conradus Listrius Pastor in Legitten.
Michaël Pfulman Pastor Ecclesiæ Medenauens:
Vrbanus VVeckerus Germaviensis Pastor.
Iohannes Gebhardus Pastor Cumauensis.
Ego Iohannes Morgenstern Minister Ecclesiæ Fridlandensis huic Corpori Doctrinæ & Confutationi subscribo.
Et ego Iohan: Baumgartnerus Minister Ecclesiæ Pošlnikensis manu propria subscrib.

Iohannes Bombart, Pastor Ecclesiæ in Postnicken.
Iohannes Querleman, in nova domo Pastor.
Iohannes Geblerus Dokerensis Pastor.
Gebhardus Faber, in Laptau.
Antonius Embd Pastor in Quedenau.
Caspar Sunder Pastor Ecclesiæ sanctæ Crucis.
Crispinus Radwald Pastor Eccles: Lamgarbens:
Leonhardus Langheimerus Ecclesiæ Simonensis Pastor.
Iacobus VVillanovus Ecclesiæ Dei ad S. Nicolaum Pastor.
Lorentz Falkenhain Pastor Tyrenbergensis.
Albertus Rembovius Ecclesiæ Seestnensis Minister.
Michaël Pauli Pastor Ecclesiæ VVendensis.
Iohannes Radmacher Pastor Ecclesiæ Schwartzensteinensis.
M. Hieronymus Galliculus Pastor Ecclesiæ in Arnau.
Martinus Biezensis Pastor Ecclesiæ Renensis.
Sigismundus Glenski Pastor Ecclesiæ Aressensis
Thomas Oningius Pastor Eccles: Iohanspurgens:
Iohan: Lapkowski Pastor Ecclesiæ Gellensis.
Hieronymus Maletius Pastor Pisanicensis.
Georgius Sonnerus Pastor Ortelspurgensis.
Iohan Forsterus Pastor Tapiensis.
Iohan: Dominicus Pastor Eccles: Lucenburgens:

Iacobus VVagnerus Ecclesiæ Langheimensis Pastor.

Casparus Hennenbergerus Pastor Mülhauensis.

Thomas Mensovius Pastor Galingensis.

Andreas Finckelthaus Pastor in Grunau.

Christophorus VVildius Pastor Ecclesiæ Haberstro.

Paulus Suchodolski Pastor Ecclesiæ in Freistedt.

FINIS.